


~~407997~~



Dv 417³

Wachtel Acten 94

~~9165~~



D. PHILIPPI IACOBI PIDERITII

SERENISSIMI HASSIAE ELECTORIS CONSILIARII
AVLICI COLLEGII MEDICI HASSO - CASSELLANI
MEMBRI ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE
CVRIOSORVM NEC NON SOCIETATVM LA-
TINARVM QVAE CAROLSRVHAE ET
IENAE FLORENT SODALIS

PHARMACIA
RATIONALIS.



.....
Ad edit. tertiam, quae, vigore edicti Celsissimi pharmacopolis
Saxonis dispensatorii loco praescripta est, denuo recusa.

FREYBERGAE *Hermundurorum,*
Impensis & Typis CRAZII & GERLACHII, MDCCCVL

PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA



PHARMACIA

PHARMACIA

PHARMACIA

PRAEFATIO.

*P*harmaciae rationalis, quam primitus Anno MDCCLXXIX et dein MDCCLXXXIII emisimus, sistitur iam *Éditio tertia* multis modis correcta, et ita aucta, ut nunc tanquam tale *Dispensatorium* considerari possit, in quo omnia ea reperiuntur, quae *Medico* ac *Chirurgo* in officiis suis defungendis necessaria videri possint. Sicut statim eo tempore, cum ante nunc fere duodecim annos, laborem hunc suscepimus, non nostri solius arbitrio indulserimus, sed aliorum virorum in scientia nostro clarorum, quos in *alterius Editionis Praefatione* nominavimus, monitis et placitis lubenter obtemperari nobis lex fuerit; ita etiam *tertiam* hanc *Éditionem*, iustis rerum aestimatoribus, et horum limato iudicio submisimus, antequam typis excudendam eam curaverimus. Sunt illi vero *praecleari Viri, Consilarii aulici*, videlicet STEINIVS et GRANDIDIER, quorum alteri *Collegii Medici Directoris*, alteri *Vice-Directoris* munus clementissime collatum fuit, nec non ille *locorum, qui ad Cassellanam ditionem pertinent, Medicus provincialis dignissimus Doctor* GRANDIDIER, *Membrum Collegii nostri medici longe meritum.*

Caeterum omnia aequo Lectorum iudicio submit-
timus, quorum monita, si fundata reperiuntur, sicut
antea a nobis factum, quoque in posterum nobis eo in-
servient, ut labori nostro semper maiorem concilient
perfectionem, et quia talis nostrae Scientiae conditio
est, ut omni tempore, vel remedia nova detegantur,
vel quod proh dolor, omni fere die accidit, alia, de
quibus mox gloriamur, nunc vel virtutis expertia vel
nociva reperiamus, ita ut expungere et exulare ea de-
beamus, atque cogamur, ut alia, quae in Scientiae
nostrae incrementum evenire possint, subnectamus;
hinc certo annorum spatio *Supplementum* quoddam
promulgabimus, quod ea contineat, quae inservire
possint, ut libellus noster, omni suae aetati et tempori
adaptatus maneat.

Restat vero nunc, ut paucis de quibusdam remediis,
quae aliis necessaria videri possunt; attamen studio a
nobis omissa sunt, rationes reddamus.

Corticis illos, quos *peruviano* in debellandis febribus
substituere multi satagunt, *Cortex* nimirum *Hippo-*
castani, *Salicis albae* et *fragilis*, *Fraxini interior*, ea ex
causa non recepimus, quia minime ea praestant, quae
Cortici peruviano debemus, et multo magis *adstringendi*
virtute, quam *tonica* illa singulari, qua *peruvianus*
eminet, dotati sunt.

Corticis Winterani, tam *veri*, quam *spurii*, uti
etiam *Cassiae lignae*, loca *Cinamomum*, vel alia a nobis
recepta *aromatica*, maiori et magis probata vi supplere
possunt. De *Cortice Angusturae*, qui a quibusdam
Am-

Americae meridionalis Medicis, in febris putridis, intermittentibus, dysenteriis et ventriculi debilitate ipsi Cortici peruviano praefertur, nihil dicere possumus.

De *Cortice Ulmi interiori*, maiora recentiores laudare incipiunt, quam ei adscribi iustum est.

Corticis Couessi, seu Neri antidynterici vires nondum tam probatae sunt, ut eum in Catalogum nostrum recipere possimus, et praeterea in *alvi profluviis*, in quibus ab *illustr. SCHLERETH* in *Disp. Fuld. pag. 8.* laudatur, nobis securiora et magis probata supersunt Medicamina; et bene ideo etiam ab *illustr. GRENIO* in *Opere absolutissimo et limatissimo, Handbuch der Pharmacologie, 1. Th. p. 208.* ad insegura refertur remedia; dubiae equidem virtutis est *Faba Pichurim.*

De *Cortice Geoffraeae inermis* nondum satis constat, an tantae sit virtutis, ut locus ei detur in Medicaminum Catalogo selectiori. Praeterea ad ea remedia pertinet, quae cum violentia agunt.

Flores Liliorum convallium, tam infidum constituunt *errhinum*, et *Flores Acaciae*, si recentes sunt, cum tantis torminibus purgant, et *ficcati* inertes sunt, ut merito omiserimus.

Florum Chamomillae foetidae vires antispasmodicae, quas recentiorum quidam laudant, aliis huius generis tam debiles et dubiae sunt, ut eis carere possimus: *Floribus Tiliae* nulla inest vis; idem valet de *Violarum Floribus*, quando *ficcati* sunt.

P R A E F A T I O.

Eupatorii cannabini vires saepe tam drasticae et infidae sunt, ut merito ad *obsoleta* referamus: vires *lithontripticae*, quae *Foliis Vitis idaeae* adscribuntur, nullae sunt.

Fungus muscarius ad infecura et superflua remedia pertinet.

Gummi Kino, prae aliis *adstringentibus* nullam praerogativam adscribere possumus, et ideo, cum horum remediorum nobis non est penuria, numerum hoc non satis probato exotico augeri nefas putavimus. In *fluore albo* plane inefficax reperit hoc *Gummi B. CVLLEN*.

Resinas Anime, Olibani, Tacamahacae, tamquam superflua remedia, quorum loca efficaciora supplere possunt, considerata sunt.

Herbis Abrotani, Alliariae, Basilici, Bellidis minoris, Calendulae, Chamaedryos, Chamaepitydis, Galii hutei, Linariae, Mesembryanthemi crystallini, vel nullae insunt vires, vel quando aliquas possidet, tamen ab aliis a nobis receptis superantur. Valet hoc etiam de quibusdam *Lignis*, e. g. *Campechensi, Mahagony* etc.

Pari modo *Radicibus* variis, quas omisimus, vel nullae vel tamen dubiae virtutes adscribendae sunt, ut saltim tanquam superfluae considerari possint. Pertinent huc e. g. *Radix Cassumuniar, Curcumae, Dentellariae, Lopezianae, Ginseng, Senegae, Sarsaparillae, Chinae, Scorzonerae* etc.

Vires, quae ad *luem veneream* sanandam, *Stipitibus Diervillae* adscribuntur, non probatae inventae; uti quoque *Lacertae bimaculatae*, quas eam tum contra hunc,

P R A E F A T I O.

hunc, tum alium gravem morbum, *carcinoma* nimirum, possidere, quidam statuunt, valde dubiae sunt. Idem valet de *Chryside ignita*, cuius *Tinctura* ab illustr. BEIREIS in *paralyfi* laudatur.

Meloën maialem pro infido remedio merito declaramus, sicut *Grana Kermes* pro inertii.

Oleo Ricini, prae aliis *Oleis expressis*, nulla debetur praerogativa.

Sint haec tantum exempli loco, ut quando in nostra *Pharmacia* multa desiderantur, quae illi, qui genio Saeculi nostri nimium indulgent, et observationum farragini nimis temerarie confidunt, in illa quaerunt, non credant, ex negligentia, sed multo magis summo studio a nobis omissa esse.

Eadem habenda est ratio multorum *Pharmacorum praeparatorum* et *compositorum*, quibus *Pharmacopolia* nostra onerata fuerunt, et ad magnam partem adhuc sunt. Ex ingenti eorum numero, saltim quorundam eorum mentionem faciemus, quae etiam nostro tempore, postquam accuratior *Chymiae* perscrutatio et sana *Therapiae* tractatio, Scientiae nostrae facem et lumen praetulerunt, nihilominus a *Medicis* saepe praescribuntur, imo in quibusdam aevi nostri *Dispensatoriis* adhuc descripta inveniuntur. Pertinent huc: *Antimonium diaphoreticum*. *Cinnabaris*. *Confectio Alkermes*. *Cornu Cervi ustum et philosophice praeparatum*. *Croci Martis diversi*. *Diacrydium*. *Electuarium Diascordium*. *Variae Theriacae compositiones*. *Elixir pectorale Wedelii*. *Elixiria proprietatis varia*. *Elixir vitae Matthioli*. *Elixir vitae mulie-*

mulierum, seu Balsamum Embryonum. Essentia alexi-
pharmaca Stahlii. Essentia dulcis. Looch de Farsara.
Looch sanum et expertum. Looch saponatum. Oleum
bezoardicum Wedelii. Oleum Scorpionum. Pilulae de
Styrace. Pilulae de Succino. Pilulae de Cynoglossa.
Pulverum bezoardicorum variae descriptiones. Mercurius
vitae. Antihecticum Poterii. Pulvis cordialis Cellensis.
Pulvis Cornachini. Pulvis Marchionis. Salia herbarum.
Mistura simplex. Tinctura antiphthifica Grammanni etc.

Sunt tandem etiam quaedam *Composita*, quae antea
inter *arcana* habita fuerunt, et de quibus ingentia qui-
dem pollicetur, et tamen vel nulla praestant, vel ita
inconcinne composita sunt, ut efficaces Species multis
admixtis superfluis et inefficacibus supprimantur. Exem-
pli loco sint *Medicamina Matronarum Stephens* et *Nouffer*
contra calculum et taeniam, *Clossii* contra taeniam, *Pulvis*
Ducis Portlandiae, *Tragea Mercurialis Keyseri*, *Electua-*
rium antilyssum Borussicum, *Tinctura nervino-tonica*
Befuschetovii etc. ut tantum in nostris temporibus subli-
scimus, *Scribebam Cassellis d. VIII. Ian. MDCCXCI.*

PRAECOGNITA.

§. 1.

Quae fuerint, in urbibus aliisque locis, *Pharmacopolia*, semper fini, cui instituta, respondeant. Eapropter itaque invigilari opus est, ut, non solum eorum, quae ad finem illum obtinendum, sunt necessaria, nihil desideretur, sed singula etiam eo referenda, debito fiant ordine. Hinc, qui harum rerum curam gerunt, eo respiciant necesse est, ut saltem, quovis anno, ab artis peritis, *Pharmacopolia* visitentur et lustrentur. *Pharmacopola* ipse, sit vir pius et in scientia sua peritus, non tantum nomenclator et pulverum commolitor, sed etiam *Chymia* et *Historia naturali*, probe instructus.

§. 2. In *Pharmacopoliis*, semper summa mundities vasorum et aliorum instrumentorum pharmaceuticorum reperiatur. Mortaria, librae et cochlearia, quibus ad Medicamenta paranda utuntur, male hucusque ex *Aurichalco* fabricata sunt. Nam, aut partes trititando abrosae, aut a salibus et pinguedine solutae, cum medicamentis commiscentur, e. g. si *Sal Ammoniacum*, vel *Tartari*, libris ex *Aurichalco* factis, ponderentur. *Pretorum* par ratio est: quoniam varia corpora, quae eis exprimuntur, in illa agunt, e. g. *Oleum Amygdalarum*, vel alia *Olea*, quae semper aliquid de *Aurichalco* solutum, in se recipiunt. Sunt ergo haec sicut *mortaria*, praeter *lapidea* jam recepta, *librae maiores* et *cochlearia ex Ferro* constructa; *librae minores* vero ex *Ebore*. Inprimis ad miscendas *Mixturas*, quas vel *Salia* vel *Gummata* ingrediuntur, semper adhibenda sunt *mortaria lapidea*, nonquam autem, quae ex *Aurichalco* parata, quae male *Pharmacopolae* calefaciunt. Pondera, duritiei causa, piderit *Pharmacia*, A ex

ex *Aurichalco* confici oportet. Vid. *Commentaria Societat. Med. Edinensis part. VII. transl. germ. p. 46.* ubi experimenta inveniuntur, quae noxam mortariorum ex *Aurichalco* fabricatorum, in *Pharmacopoliis* receptorum, satis clare demonstrant. Par sensus esto de *Stanno*, *Plumbo* frequenter adulterato. Hinc *lagenae* asservandis *Acetis* &c. dicatae, cochleis ex *Stanno* confectis, non muniantur, neque *Roob*, *Extracta* &c. in *pyxidibus stanneis* recondantur. *Vasorum* quoque et *figulinorum crusta vitrea obducendorum* cautissimus, et sine ordinantis Medici iussu nullus usus sit. Vid. *illustr. PYLII Magazin für die gerichtliche Arneyk. und med. Polizey, II. B. 3. St.* Preterea omnia vasa, ex *Cupro* parata, et in quibus *Decocta*, *Extracta* et *Syrupi* conspissentur, probe *Stanno incrustata* sint. *Salia* coquantur in *sartagine ferrea*, praeter *Tartarum emeticum*, *solubilem*, *tartarifatum*, et *Terram foliatam Tartari*, quae in *vasis terreis crusta obductis* parantur. *Spathulae* ex ligno sint confectae.

§. 3. *Varia*, quae a Medico in *Pharmacopoliis* visitandis observanda sunt, his sequentibus comprehendendi posse putamus.

I. *Nulla*, nisi *utilia*, et omnia et singula in hac *Pharmacacia* designata *medicamenta*, in *Pharmacopoliis* asservanda, et eis inferenda esse, arbitramur.

II. *Ea* *medicamenta*, tam *simplicia*, quam *composita*, sine quibus neque *Medicus*, neque *Chirurgus* ullo modo esse, aut suo rite officio defungi potest, in minimorum etiam oppidorum *Pharmacopoliis* non desunt. Quae huc referimus et tanquam absolute necessaria respicimus, in *Indice*, literis maiusculis notata legantur.

III. *Medicamenta simplicia*, neque, ob *fordidum* et *dolosum* *lucrum*, neque ex *ignorantia*, aut *negligentia* et ad rem minus *attento* *animo*, cum aliis commutentur. Videat igitur *Medicus*, ne loco *Lenicae*, alius *Flos flosculosus*, e. g. *Anthemis tinctoria*; loco *foliorum Aurantiorum*, *folia Citri*; loco *Corticis peruviani*, *cortex quernus* vel ab alia arbore *derasus*; loco *Conii maculati*,

lati, *Phellandrium*, vel *Aethusa Cynapium*, vel *Chaerophyllorum* species quaedam; loco *seminis Cynae*, *semen Tanaceti*; loco *radicis Ipecacuanhae*, *radix Apocyni*; loco *radicis Hellebori nigri*, *radix Adonidis vernalis*, vel *Aconiti Napelli*; loco *herbae Saponariae officinalis*, *Lychnis dioica* Linn. et loco *radicis Valerianae sylvestris*, *radix Valerianae maioris*, a Pharmacopolis dispensentur.

IV. *Simplicia medicamenta* sint genuina et non adulterata: *Acetum*, non cum *Capfico*, aut *Acido Vitrioli concentrato*; *Balsamum Canadense*, non cum *Terebinthina*; *Copaivae*, non cum *Oleis expressis*; *peruvianum*, non cum alio *Balsamo* aut *Oleis* mixtum; neque etiam arte sit factum; sic etiam *lapides Cancrorum*, non cum aliis *terreis* et *calcareis rebus*; non *Crocus*, cum *Carthami floribus*, non *Rheum* cum *Rhapontico*; *Gentiana*, cum *Ranunculo Thora*; *Gummi Ammoniacum*, *Opium*, *Scammonium* et *Folia Sennae*, non cum aliis, huic fuso *in*fervientibus, peregrinis rebus; non *Manna*, cum *Saccharo Thomae*; *Sanguis draconis*, non cum *Resinis* et *pulvere ligni Santali rubri*, et non *Tamarindi* cum *Prunorum pulpa* mixta et his rebus adulterata reperiantur. Praeterea *Medicus*, an *Ambra*, *Cortex peruvianus*, *Moschus*, *Camphora*, *Castoreum* bonae notae; an *Olea destillata* genuina sint, praesertim ne *Oleum Caieput Cupri* partibus inquinatum, et *Mercurius vivus* rite depuratus, videat.

V. Quod *herbas* attinet, probe observet, ne plane sint inodorae, neque *radices*, *cortices*, *ligna* et *semina* carie corrupta, deprehendantur.

VI. Porro respiciendum est, an *praeparata* et *composita*, ad artis regulas, et ea, quae in Pharmacopoeo requiritur, accurata diligentia, fuerint elaborata. Neque etiam sint eadem vetustate, vel alio modo corrupta: *Aceta infusa* non sint mucore obducta et vapida; sic etiam *Aquae destillatae* probae et non corruptae inveniantur. Videatur, ne *Cerussa*, cum *Creta*, aut *Bolo*; *Martialia*, cum *Cupri*, aut *Aurichalci* partibus; *Resina Jalap-pae*, cum aliis *resinosis*; *Sal Cornu Cervi* vel *Succini*, cum

Sale Ammoniac; *Vitrum Antimonii*, cum *Plumbi partibus*; *Magnesia alba*, cum *Gypso*, inquinata et adulterata sint. Inquirendum praeterea, an *Extracta* bonae notae et indolis, *Mercurialia* etiam rite sint parata; an *Tartarus solubilis*, *tartarifatus*, *vitriolatus*, *Terra solvata Tartari*, *Sal mirabile* et *polychrestum* bene sint saturata, et non forte, ex coctione in *vasis cupreis*, cum *Cupri* partibus, commixta et inquinata. An *Olea empyreumatica* probe sint rectificata; *Spiritus acidi dulces*, bene dulcati; *Spiritus vini rectificatissimus* a phlegmate plane liberatus; *Spiritus Cornu Cervi*, non addita *Calce viva* adulteratus. Et tandem cavendum, ut neque *Electuaria* sint corrupta, neque *Syrupi* fermentantes.

VII. *Venena*, a caeteris medicamentis separentur, et non in eodem cum eis loco asservantur; habeant etiam sua eis folia, quibus includuntur, dicata vasa, neque in eisdem, cum aliis medicamentis tractentur mortariis, libris &c. vid. *illustr. PXLIVM l. c.*

§. 4. *Vitra*, in quibus *Spiritus* asservantur, praesertim tales, qui *Sal alcali volatile* continent, duplici ligatura sint munita, *vesica* nimirum, et *charta*, vel multo magis *corio duplici*. Observandum hoc praecipue est, in illis vitris, quae, ad quotidianum usum, in tabernis prostant.

§. 5. *Vitra mensuraria* plane interdicenda sunt: quia pondera, pro corporum liquidorum diversitate, maxime variant, et itaque eis non accurate et secure mensurare possumus.

§. 6. Omnibus ac singulis *Pharmacopoeae receptaculis*, literis majusculis tituli inscribantur, unde, quae continent, appareat; uni receptaculo plura una corpora non inferantur; diaphragmata confusio aegre obsistunt: *Vasa*, pro variis, quas includunt, substantiis, vel ex *ligno tiliaceo*, vel *figulari opera*, vel ex *vitro* sint parata; *metallica*, ob facile contagium, semper sunt suspecta. *Capsae*, quibus medicamina condantur, in genere sint ex *ligno inodoro* factae.

§. 7. *Radices* colligantur ante florum explicationem, praeter *radicem Salab*, quae non prius, quam floris tempore,

pore, bona reperitur et idonea. Probe *radices, cortices, semina, herbae et flores*, a quibuslibet purgentur, et, caloris gradum repentine magnum fugiendo, tantum in umbroso loco siccantur, neque prius in cistas reponantur, quam cum probe siccata fuerint. Praeterea sereno semper coelo plantarum partes, nullo rore madidae, colligendae sunt. *Crassiores radices* in taleolas secantur et siccatae frigido siccoque loco asserventur. *Fragrantes*, uti *Valerianae radix*, vitreis vasis coarceantur. Neque etiam magna in quantitate pulveratae praesto sint. Quorum radicum virtus exsiccando perit, *sabulo sicco* obrutae ferventur, ut *Squilla, Raphanus &c.* Plerorumque *Seminum* delectus instituat, ut iis *Aquae* immerfis, quidquid supernat, abiiciendum, quod fundum petit, siccandum et asservandum sit.

§. 8. *Spiritus* aliaque *praeparata* et composita a circumforaneis emere, Pharmacopolis interdictum esto. Ea *medicamenta chymica*, quae, ab effectu insigni, quem iam, in portione minori data satis actuose exserunt, *Heroica* dicuntur, Pharmacopolae ipsi parare debent, ut de eis eo certius testari possint. Pertinent huc omnia *praeparata*, ex *Antimonio, Mercurio, Ferro, Sal* etiam *Cornu Cervi, Succini* et huius generis alia.

§. 9. In *tabernis*, ad usum non solum Pharmacopolarum, sed etiam discipulorum, *Herbarium vivum*, quod plantas officinales continet, unicuique adscripto nomine officinali, asservetur. Quando *radices* in usu sunt, haec simul adpositae esse debent, quae, si nimis crassae sint, discindantur et sub prelo comprimantur. Ad determinandum caloris gradum, qui in Pharmacopoliis, hyemis tempore, observandus est, *Thermometrum* praesto sit.

§. 10. Circa *pondera* notandum, nos, quando *Librae* mentionem fecimus, *Libram* sic dictam *medicam*, quae uncias duodecim pendet, intelligi voluisse. *Unciam* unam, habere *Drachmas octo*; *Drachmarum* unam vero, complecti *Scrupulos tres*, et *Scrupulum* unum componi ex viginti *Granis*, cuilibet notum esse, putamus.

PARS PRIMA
MEDICAMENTA SIMPLICIA
EXHIBENS.

1. *Abies rubra.*

§. 11.

Pinus Abies. Arbor fativa — *Colophonium*, Geigen-Harz. — *Resina*, seu *Pix Burgundica*, Fichten-Harz, weißes Pech.

2. *Absinthium vulgare.*

§. 12. *Artemisia Absinthium.* In locis desertis, montosis spontanea, sed datur quoque hortensis, quae magis succosa, cum prior exsucca, sed fortior multoque amarior sit. — *Herba.* Gemeiner Wermuth.

Praeparata. Extractum. — Oleum destillatum.

3. *Acetosa.*

§. 13. *Rumex scutatus* et *Rumex Acetosa.* Planta in pratis, sylvis et montibus vulgatissima; sed optime ex hortis eligantur folia molliora iunioris plantae. — *Herba recens.* Sauerampfer.

4. *Acetofella.*

§. 14. *Oxalis Acetofella* et *Oxalis corniculata.* Habitat in locis umbrosis et humidulis. — *Herba recens.* Sauerklee.

Praeparata. Extractum. — Sal essentielle.

ACETVM VINI, vid. *Vitis.*

5. *Aconitum.*

§. 15. *Aconitum Napellus.* Passim in montibus crescit; apud nos in hortis colitur. — *Herba recens.* Eisenhütlein.

Prae-

○—○ 7
Praeparata. Extractum.

Planta virulenta est. Monet *illustr*, BERGIVS *Mar. Med. T. I. p. 483.* adiectam a *perill*. STOERCKIO suo libello figuram plantae, satis indicare, hunc virum experimenta sua instituisse cum *Aconito Cammaro Linn.* „Planta enim „haec, pergit, dum spontanea colligitur, videtur acrior esse „*Napello*, pulvis enim foliorum *Cammaro* linguae im- „primit ardorem inhaerentem cum dolore, prout scribit „STOERCKIUS, quem effectum ex *Napello* non observavi.”

AERVGGO. vid. *Cuprum*.

AGARICVS ALBVS. vid. *Pinus Lavix*.

AGARICVS CHIRVVGORVM. vid. *Boletus ignarius*.

ALKALI MINERALE vid. *Soda Hispanica*.

6. *Allium*.

§. 16. *Allium sativum*. Planta hortensis. — *Ra- dix*. Knoblauch. In sabulo *radix* asservanda est.

Ad praecipua, uti bene *immortalis* ROSENSTEINIUS monuit, *antihelminthica* pertinet. Plura vid. in G. W. WEDELII *Dissert. de Allio*. De succi *Allii* efficacia in *surditate rheumatica illustr*. BERGIVS *l. c. p. 256.* testatur: ubi enim „in *surditate rheumatica*, ait, saepius levamen attulit, lanam „*bombycinam succo Allii* imbibere, illamque auri intrudere, „repetitis vicibus per diem unicum. Meatus auditorius inde „rubet, dolet et sensibilis fit per diem unum alterumve, tum „prurit, tandemque desquamatur, redeunte saepe auditu.”

Remedium illud Americanum, quod ex duobus *Allii* bul- bis et *Gummi Annoniaci* Drachma constat, ex quibus *Aquae* ope duo boli formantur, quorum unus mane et alter vespere, *Infuso ligni Sassafras* saturato superbito, sumitur, in *ar- thritide* neque tantas meretur laudes, neque in omnibus et singulis aegrotis citra damnum praescribendum est.

7. *Aloe*.

§. 17. *Aloe spicata*. In India utraque, praecipue Africa et etiam calidioribus Europae regionibus crescit. — *Aloe hepatica*. Gemeine oder leberfarbige Aloe. — *Aloe soccotrina*. Feine Aloe.

Optima est *soccotrina* et purissima, splendens, coloris ex rubro fusci, sub tritura crocei, haud ingrati odoris et magis gummosa *hepatica*, quae magis resinosa est et impurior, ideoque solummodo pro conficiendo *Extracto* asservanda.

Praeparata. Extractum aquosum.

Aloe ad praecipua et efficacissima haemagoga pertinet; valde igitur *Aloeticorum* usus restringendus est, et nullibi ea praescribenda, ubi ex sanguinis profluviiis promotis noxam timeri debet.

8. *Althaea.*

§. 18. *Althaea officinalis.* In hortis colitur. — *Folia.* Eibisch Kraut. — *Radix.* Eibisch Wurzel.

Praeparata. Pasta. — Syrupus. — Unguentum.

9. *Alumen crudum.*

§. 19. *Alumen commune.* Per Europam, praesertim in Anglia, Suecia, Germania ex propria minera educitur. Passim invenitur etiam *Alumen nativum.* —

Alumen crudum. Weisser Alaun.

Praeparata. *Alumen ustum.* Gebrannter Alaun.

Multi *Aluminis crudi*, quod uti viri celebres PRINGLE, CVLLEN, WHITERS probant, in putredine arcenda magnam exferit vim, usum internum, praeter rationem nimis formidant. In febribus putridis, saepe optimo cum effectu exhibetur; praesertim, quando, uti MEADII monet, aegroti potus acidus fastidiunt. Non minus valet eius usus in variolis confluentibus putridae indolis, quando pustulae iam concidunt et nigrae appareant, ubi consulto unicuique Librae Decocti corticis peruviani saturati duo, tres imo quatuor Scrupuli adijciuntur, vid. R. A. VOGELII Praelectiones acad. de cogn. et curand. praec. C. H. affectibus p. 90. et BROCKLESBY Beobachtungen von Feldkrankheiten p. 167. quo loco translator germanicus illustr. SELLE testimonium B. Archibatri Göttingensis G. P. SCHROEDERI communicat, qui enim quoque medicamen nostrum summa cum euphoria saepe in usu habuit. Infantibus etiam in Syrupo quodam solutum ad Grana quinque usque ad Scrupulum dimidium in die dari potest. In uteri haemorrhagia et diabete usus ejus prudens summae est efficaciae: sed ad fluorem album seu gonorrhoeam cohibendam, sicut non minus ad febres intermittentes profligandas, pessime aegris ingurgitatur. Si *Aluminis* nostri Vncia dimidia cum *Lactis* Libra coquitur, serum lactis aluminosum acquirimus. Addere adhuc liceat descriptionem solutionis aluminosae vitriolatae, quam B. MULLERVS primo in Dissert. pecul. de *Aluminis* solutione vitriolata, et deinde in notis ad RICH. MEADII monita et praecepta descripsit, et

B.

— 0 —

9

B. *Inventor et illustr.* CLOSSIVS, in *tract. de variolis*, ad febres intermittentes, nostro ex arbitrio nimis fiducialiter, tanquam euporiston laudant.

Recipe, *Solutionis Aluminis saturatae*, Libram unam infilla,

Acidi Vitrioli tenuis,

sub continua agitatione eo usque, donec exacte misceantur, et solutio stypticum saporem deponat, seu ad gratam usque aciditatem.

Externus Aluminis usus ab omni tempore clarus est. In *ophthalmiis* et aliis *oculorum vitiis*, non commode cum *Albumine Ovi* teratur, quoniam hoc oculo illinitum, sensim in eo siccatur, asperumque fit, ac tandem tunicas irritat: praestat ergo *Aluminis* Scrupulum unum misceri cum *Vincis* duabus *Aquae destillatae* omisso *Albumine*. Praeterea tale *Collyrium* non linteolis applicetur, sed aegroto in dorso cubenti, in canthum oculi internum infilletur et, quo melius efficaciam suam exercere possit, situm hunc aliquod per tempus servet aeger. *Historiam usus Aluminis ex-et interni* prolixiorem invenias in *Clar. LINDT Diss. de Aluminis virtute medica. Goett. 1784.*

10. *Ambra grisea.*

§. 20. *Ambra ambrosiaca.* In omni mari, quod *Asiam*, *Africam* et *Iamaicam* alluit, reperitur, sive ipsi innatans, sive rupibus littoris accreta. — *Ambra grisea.* Grauer Amber.

Ambra bonae notae digitis trita facile mollescit, et a leni caloris gradu, instar *Olei* liquefcit, auctiori vero, tota quanta in auras abit, et accensa spumescendo conflagrat, gratum edit odorem, vixque ullum sui vestigium relinquit. Fragmenta eius insuper sint opaca, aspera, levissima et porosa. Optimum bonitatis signum est, quando acui candefactae sibi immiscae non adhaeret. Caeterum adulteratur *glumis Oryzae*, in pollinem redactis, *Mastiche* et *Ladano*; fraus haec facile vero detegitur, masticatione, solutione et combustionem, super lamina ignita.

Praeparata. Essentia liquida.

II. *Amygdalus.*

§. 21. *Amygdalus communis.* Arbor Europae australis et orientalis. — *Nuclei amari,* — *dulces.* Bittere und süsse Mandeln.

Praeparata. Oleum expressum, — Syrupus amygdalinus seu emulsivus.

AMYLVUM, vid. *Triticum.*

12. *Anagallis.*

§. 22. *Anagallis arvensis.* Ubique in arvis crescit. — *Herba flore phoeniceo.* Gauchheil.

De Virtute eius antilyssica, quam ei B. VOGELIVS, B. noster KAEMPFIVS et alii adscribunt, valde dubitamus.

13. *Angelica.*

§. 23. *Angelica Archangelica.* In alpinis et aliis regionibus spontanea, nobis hortensis. — *Radix.* Engel- oder Angelik-Wurzel.

14. *Anisum.*

§. 24. *Pimpinella Anisum.* In Aegypto et Syria sponte provenit, sed in Germania diversis regionibus, praesertim in Thuringia, Saxonia et Frankonia in agris colitur. — *Semen.* Anis-Samen.

Praeparata. Oleum destillatum. — Spiritus.

15. *Anisum stellatum.*

§. 25. *Illicium Anisatum.* Ex Tartaria, China et Philippinis ad nos venit. — *Fructus,* Stern-Anis.

Suavius, penetrantius et praestantius est *Aniso vulgari.*

16. *Antimonium crudum.*

§. 26. *Stibium striatum.* Maxima copia ex Hungaria advehitur. — *Antimonium crudum.* Rohes Spießglas.

Praeparata. Causticum antimoniale, vulgo Butyrum Antimonii. — Kermes minerale. — Morsuli antimoniales Kunkelii. — Pulvis purificans Kaempferii. — Sulphur auratum. — Sulphur auratum liquidum. — Saponatum. — Tartarus emeticus. — Vinum Huxhami. — Vitrum. — Vitrum ceratum.

17. *Apis.*

§. 27. *Apis mellifica.* In Europa ubique. — *Cera alba.* Weißes Wachs. — *Cera citrina.* Gelbes Wachs. — *Cera viridis.* Grün Wachs. — *Mel.* Honig.

Cera alba saepe adipe adulteratur. *Mel* sit purissimum et non cum farina, praesertim fabarum adulteratum.

Praeparata. Mel Rosarum. — Oleum Cerae.

Cera viridis, quae aeruginem continet, praesertim ad pedis clavos valet.

18. *Argentum.*

§. 28. *Argentum nativum.* In multis Europae regionibus reperitur. — *Argentum cupellatum.* Gereinigtes Silber. — *Foliatum.* Silberblättgen.

Praeparata. Lapis infernalis.

ARGENTVM FOLIATVM. vid. N. praec.

ARGENTVM VIVVM. vid. Mercurius vivus.

19. *Aristolochia.*

§. 29. *Aristolochia rotunda.* In Europa australi perennis. — *Radix.* Runde Osterluzey-Wurzel.

ARMORACIA. vid. *Raphanus rusticanus.*

20. *Arnica.*

§. 30. *Arnica montana.* In montibus, praesertim in Europa australi crescit. — *Herba.* — *Flores.* — *Radix.* — Wohlverley.

Videatur, ne alius *Flos flosculosus,* praesertim *Anthemis tinctoria,* vel *Imula dysenterica,* loco eius recipiatur.

Omnium consensu, *Arnica* ad optima refertur *resolventia,* quae, praesertim in sanguine coagulato quam optime hanc vim praestat: unde iam veteribus, tanquam praestans *lapsorum panacea,* nota fuit. Dantur eo ex scopo, vel flores una cum herba ad pugillum unum, cum *Aquae calidae* mensura infusi, vel flores pulverati ad *Scrupulum unum,* ter quaterve in die: prodest insuper *Infusum* tale, non solum ad *sanguinem coagulatam* in lapsis et contusis resolvendum, sed etiam ad *haemorrhoidum* et *mensium fluxum* provocandum, et ubique, ubi *sanguinis stasis* suspicanda est: e. g. in dolore lateris cum *dyspnoea.* Notari autem meretur, semper extra *febrem,* et absente insigni *plethora* vel *inflammatione* dandum, et itaque, ut plurimum ante eius usum *venam esse*

fecan-

secundam. Saepe cum vehementia quadam agit, *anxietatem* intolerabilem et *vomitum* excitat; praesertim, si *extravasatum* quoddam in primis viis haereat. Ideo etiam a parca dosi incipiendum, quae sensim augenda. Circa *partem laesam*, uti toties observavimus, mox insigniter dolorem auget, paulo post tamen evaniturum. Aegri etiam plerumque *fornicationis sensum* experiuntur, *dolores lancinantes* et *urentes*, quae quidem bona sunt signa. Quandoque in quibusdam *lotium* movet, in aliis *sudorem*. In *paralyti*, *atonia partium*, *contractura*, diversis *spasmodicorum* speciebus et in *rheumatismo* iam ALBERTI, IVNGKERVUS plantam hanc laudaverunt, et *illustr.* COLLINVS, STOLL, AASKOW ulterius novis experimentis confirmaverunt: quorum primus etiam feliciter eam in *amaurosi* adhibuit. Secundum observationes horum virorum XXVIII *paralyticis* profuit et IX aegris, qui *amaurosi* laboraverunt, ubi simul observant, dolores acerbos in oculis circa finem curationis supervenisse. *Antispasmodicam* eius *virtutem*, VII casibus *illustr.* COLLINVS corroborat. *Rheumatismum chronicum humborum*, *illustr.* AASKOW post XIV dies sanavit, *florum Arnicae* Vncia dimidia, *Cremoris Tartari* Drachmis duabus et *Nitri* Drachma dimidia, in *Cerevisiae tenuioris fervidae* Libris duabus infusis, cuius *Infusi* dimidiam portionem, omni mane et vespere epotavit aeger. In *febris*, *haemoptoe*, *uteri haemorrhagiis*, *lochiorum retentione* et *dysenteria*, in quibus *illustr.* COLLINVS, STOLL et alii eam laudaverunt, nostro ex arbitrio, eius usus plane vitandus est. Quanquam ob *antisepticas*, quas possidet *Arnica* virtutes, (*) omnino videtur, in *febris putridis* proficuum esse eius usum, ob *stimulantem* eius vim, nobis tamen vitandam esse putamus. Raro *dysenterici* medicamentum hocce ferunt, sed plerumque inde in eis *vomitus*, non raro *cruenti*, *lipothymiae*, *dolores colici acerbi* et alia graviora symptomata oriuntur, et itaque neququam, uti COLLINVS vult, *Ipecacuanhae* substituendum est. „*Febres intermittentes* protractas cl. AASKOW, apud binas mulieres, las curavit *florum Arnicae* manipulo dimidio, quem in *Cerevisia* infudit et duabus horis ante paroxysmum propinavit. Valde operatum est hoc *Infusum* cum vehementibus vomitibus, sed tamen *febrem* sustulit apud unam post binas doses, apud alteram vero post unicam.” Haec *illustr.* BERGIVS l. c. p. 684. ex AASKOWII *observationibus*, quae in *Act. scient. med. Hauniens. V. II. p. 162.* reperiuntur, refert; „sed ego, pergit, *herbae Arnicae* Vnciam dimidiam „coque-

(*) Vis radice antiseptica per clar. BVCHOLZII experimenta valde dubia redditur.

„coquere feci cum *Cerevisia*, cuius colaturam per plures dies omni mane sumserunt aegri, *quartana* laborantes, sed *febrim* non sustulit hoc *Decoctum*, verum maiorem in modum vexavit aegros. Nec *radix Arnicæ* mihi successit in *quartana*, sub forma pulveris exhibita.” *Radice* caeteris plantae partibus inefficaciorem iam pronuntiavit ALBERTI. *Flores* etiam validius agunt *herba*. Plura vid. in ALBERTI *Diff. de Arnicæ verae usu*. Halae 1744. BUCHNERI *Diff. de genuinis principiis et effectibus Arnicæ*. Erford. 1741. COLLINI *Observ. circa morb. acut. et chron. Germanicam versionem huius libri cum addit. clar.* KAUSCHEN, SCHVITTE *Diff. de viribus Arnicæ*. Gött. 1774. *Clar.* ACKERMANN in *perillustr.* BALDINGERI *neuem Magazin für Aerzte* B. I. St. 3.

21. *Arsenicum album.*

§. 31. *Arsenicum nudum*. Passim in Germania invenitur. — *Arsenicum album*. Weißer Arsenik.

Omnium *Venenorum* atrocissimum est, quod neque interne neque externe adhibeatur, quanquam ab PLUKENETO et FEBVRIO ei vires specificas et salutaris in *carcinomate* adscribuntur.

22. *Arum.*

§. 32. *Arum maculatum*. In pratis et locis humidis sylvarum erescit. — *Radix*. Aron-Zehr-Wurzel. Effodienda est *radix* aestate, quando *folia* marcescere et *baccæ* maturefcere incipiunt. *Recens* nimis acrem et corrodentem vim exhibet: sollicite tamen in vitris asservanda, et ne omnes plane vires amittat, quovis anno colligenda est.

ASA DVLCIS. vid. *Resina Benzoes*.

23. *Asa foetida.*

§. 33. *Ferula Asa foetida*. Persiæ civis. — *Gummi Resina*. Stinkender Asand. Teufelsdreck.

Foetor virtutis index est, quo maior is, eo meliorem *Asam* testatur.

Praeparata. *Tinctura*.

Asæ foetidæ vires resolventes, antispasmodicæ, hæmocatarrhicæ et antihelminthicæ, tam insignes sunt, ut satis laudari non possint. Valet inde in *affectionibus spasmodicis, hysteriis, hypochondriacis, e. g. in lipothymiis hystericarum, colica flatu-*

flatulenta, ad sanguinis fluores promovendos, *vermes fugandos* et *obstructiones viscerum* in variis morbis, e. g. *hydropo*, *tympante* &c. solvendas. In *tussi suffocativa*, quae interdum hic loci epidemico more saevit, maximi effectus *Asam* invenimus, ita ut omnibus quae clar. MILLAR alique clari viri de ea laudant, lubenter subscribamus. Pari modo utilissimum eius usum invenimus in *affectibus scrophulosis*, *spina ventrosa* et *carie ossium*, cui in connubio cum *Cortice peruviano*, dummodo res non plane ad extremum demersa est, quam optime limites ponit. Vid. de hac re B. SCHMUCKER *Scripta chirurgica*. In *enematibus* etiam mira praestat, Verum *tympantem*, ex febre praegressa ortum, curatum vidit illustr. BERGIVS, *clysmatibus foetidis ex Asae* Drachmis duabus, quotidie semel vel bis applicatis, propinato simul *Rheo* quovis mane. Vid. *l. c. p. 200*.

24. *Asarum*.

§. 34. *Asarum Europaeum*. In locis umbrosis, sylvis perennis. — *Folia*. — *Radix*. Hafel-Wurzel.

Ad vomitum ciendum non amplius praeferibitur,

25. *Asphaltum*.

§. 35. *Bitumen Asphaltum*. Reperitur magna eius copia in mari mortuo et in Chinae lacubus nonnullis. — *Asphaltum* seu *Bitumen Iudaicum*. Asphalt oder Berg- auch Iuden-Pech.

26. *Astragalus exscapus*.

§. 36. *Astragalus exscapus*. Reperitur in Hungaria et Thuringia. — *Radix*. Schaftloser Traganth.

Virtus eius antisymphilitica nondum satis confirmata est. Vid. illustr. QVARIN *Animadv. pract. et clar. GIRTANNER Abhandlung über die venerische Krankheit. I. B. p. 402. et seq.* In *Nosocomio Viennensi*, sequenti in modo radice hac utebantur: „Recipe, *Radici Astragali exscapi*, Vnciam dimidiam, coque in *Aquae purae* Vncis quindecim, donec libra „superlit. Mane et vespera sumatur tepide haec *Decocti do-* „sis.” *Clar. CRICHTON radicem* hanc inefficacem invenit.

27. *Avena*.

§. 37. *Avena sativa*. Cereale annuum. *Avena cruda*. Roher Hafer. — *Semina excorticata*. Geschaelter Hafer.

28. *Aurantium.*

§. 38. *Citrus Aurantium.* Asiae indigena arbor, quae hodie per Americam et Europam australem copiose in hortis colitur. — *Folia.* Pomeranzen-Blätter. — *Flores Naphae dicti.* Pomeranzen-Blumen. — *Poma immatura.* Unreife Pomeranzen. — *Poma matura.* Reife Pomeranzen. — *Cortices Curassavenses.* Curassau-Schalen. — *Flavedo.*

Foliis male *folia Citri* substituuntur, a quibus appendicibus seu lobis illis duobus, quibus ad basin utrinque, in cordis formam incisissimae sunt, dignoscuntur.

Praeparata. Aqua Naphae. — Essentia. — Oleum expressum. — Syrupus.

Folia Aurantium, vel in *substantia* ad Drachmam dimidiam, ter quaterve in die data, vel ad Vnciam unam in *Decocto* praescripta, nobis in *nervorum debilitate, affectibus spasmodicis* et huius generis morbis, mira effecerunt, praesertim si *Elixirii acidi Halleri* Drachmam talis *Decocti* Vnciam octo adiunxerimus. In *epilepsia* vero tanta nobis non praestiterunt, quae SWIETENIVS, HAENIVS, HANNES, L. B. A. STOERCK etiam *nostrer incomparabilis* BALDINGERVS de eis testantur. Ex XV etiam *epilepticis*, quibus *clar. MAX. LOCHERVS* folia dedit, IX quidem multum levaminis acceperunt, non autem sanati fuerunt. Vid. *Eius observ. pract.* p. 47. Maximo itaque etiam cum iure, vim eorum contra hunc morbum specificam, *illustr.* TISSOTVS negat.

29. *Auripigmentum.*

§. 39. *Pyrites subnudus arsenicalis micaceus.* Passim in Europa reperitur. — *Auripigmentum.* Operment.

Venenum est, quod tamen ad *Liquorem probatorium* adhibetur.

30. *Aurum.*

§. 40. *Aurum nativum.* In Europa passim. — *Aurum foliatum.* Gold-Blättchen.

Aquae Regis ope, primo Pharmacopoeus examinet, an *Aurum suum foliatum* probum et purum sit.

31. *Axungia porci.*

§. 41. *Sus scrofa.* Animal per omnem Europam habitans. — *Axungia.* Schweineschmalz.

BALAVSTIVM. vid. *Granatum.*

32. *Balsamum Canadense.*

§. 42. *Pinus Balsamea.* Canadæ arbor. — *Balsamum.* Canadischer Balsam.

Adulterationem *Balsami* cum *Terebinthina*, odor facile indicit. Caeterum ubique hocce *Balsamum*, loco *Balsami Copaivæ*, adhiberi potest.

33. *Balsamum Copaivæ.*

§. 43. *Copaifera officinalis.* Arbor novæ Hispaniæ et Insularum. — *Balsamum.* Copaiva-Balsam.

Balsamum adulteratum, colore flavo pellucido privatum est, odore et amaricanti sapore, vero et genuino debilius reperitur. Adulteratio cum *Oleis expressis* detegitur admixtione *Tincturæ Tartari*, in qua enim genuinum plane solvitur et pellucidum manet, si vero *Oleum* tale quoddam *Balsamo* admixtum fuerit, solutio lactea evadit.

34. *Balsamum Peruvianum nigrum.*

§. 44. *Myroxylon peruiferum.* Arbor americana. — *Balsamum.* Schwarzer peruvianischer Balsam.

Balsamum genuinum in *Spiritu vini rectificatissimo* plane solvitur, et neque cum *Oleis destillatis*, neque *expressis* id misceri potest. Prunis instillatum gratum spirat odorem, adulteratum vero foetorem edit. Si ex instillatione *Acidi vitrioli concentrati* effervescentia et male olentem funum spargit, *Balsamo Copaivæ* adulteratum esse, indicit, genuinum enim cum *acido* illo sine turgescencia misceri potest. Si *Ceræ* ope cum *Oleo* quodam inquinatum est, *Balsamum* se, si super ignem ponatur, separat ab heterogeneis et fundum petit. *Artefactum* etiam datur *Balsamum*, quod pro genuino peruviano venditur et paratur, ex digestionem *Olei Benzoe* cum turionibus *Populi*; facile vero ex odore a genuino dignoscitur.

Prac-

Praestans medicamen est in *Chirurgia*, praesertim ad *convulsiones* sistendas, quae ex *tendinum* et *nervorum laesionibus* oriuntur.

35. *Bardana*.

§. 45. *Arctium Lappa*. Vbique fere crescit. — *Radix*. Kletten-Krautwurzel.

Vel sero in autumno, vel primo statim vere colligenda est haec radix e plantis iunioribus.

Quibusdam *Decoctum* huius radicis vomitum excitat.

36. *Beccabunga*.

§. 46. *Veronica Beccabunga*. In palustribus fossis crescit. — *Herba recens*. Bachbungen.

37. *Belladonna*.

§. 47. *Atropa Belladonna*. In umbrosis et montosis locis spontanea. — *Folia*. — *Radix*. Toll- oder Wolfs-Kirschen. Waldnachtschatten.

Planta virosa, cuius usus in *carcinomate* maximam requirit cautionem; saepe sine optato effectu adhibetur. Nos in IV aegris, qui *carcinomate* laboraverunt, plane incassum praescripsimus. *Radix* datur *adulto*, a Granis sex usque ad duodecim; *infanti* a Grano uno usque ad sex, in *Aqua* vel *Cerevisia*. *Foliorum* dosis, pro *adulto*, Grana duo, quatuor usque ad octo, et pro *infante*, a Grano dimidio usque ad duo vel tria. De *Belladonnae* efficacia in *rabie canina*, multa experimenta instituerunt *Vir summe venerabilis* IO. HEINR. MÜNCH et eius *clar. filii*. Vid. praesertim *prioris tractatum von der Belladonna*, qui anno 1783 Göttingae prodit, et B. F. MÜNCHII *Diss. de Belladonna, efficaci in rabie canina remedio*. Prae aliis scriptis, quae ALBERTI, IVNCKERVS et alii de hac planta ediderunt, legi merentur *illustr. nostri* TIMMERMANNI *Periculum de Belladonna* et *Clar. DARIES Diss. de Atropa Belladonna*, quam recusam invenias in *perillust. BALDINGERI Syllog. Diss. Vol. II.*

38. *Berberis*.

§. 48. *Berberis vulgaris*. Spontanea ad sepes, colles, oras sylvarum et pascuorum. — *Baccae recentes*. Saurachbeeren.

Praeparata. Rotulae. — Succus. — Syrupus.

Piderit Pharmacia,

B

39.

39. *Betula.*

§. 49. *Betula alba.* Arbor frequentissima. — *Succus ex trunco eliciendus.* Birkenfaß.

40. *Biftorta.*

§. 50. *Polygonum Biftorta.* Perennis in paludosis, pratensibus et torfosis. — *Radix.* Schlangen- oder Natter-Wurzel.

41. *Boletus igniarius.*

§. 51. *Boletus igniarius.* Ad Fagos, Betulas et Quercus crescit. — *Boletus praeparatus.* Feuer-Schwamm.

Sub finem aestatis colligatur.

42. *Bolus armena seu rubra.*

§. 52. *Argilla Bolus.* In Germaniae et Galliae variis provinciis reperitur: invenitur vero quoque in Persia et Armenia. — *Bolus rubra.* Rother oder Armenischer Bolus.

43. *Borax veneta.*

§. 53. *Borax Tincal.* Ex Sale, quod sub nomine *tincal* ex orientali India advehitur, et noviter etiam in Helvetia inventum fuit, Venetiis et in Hollandia *Borax* paratur. — *Borax veneta.* Venetianischer Borax.

Eligenda est alba, crystallina, levis, in igne facile fluens atque vitrescens.

Tantum pro aliis Medicamentis parandis, c. g. *Cremore Tartari solubili* inservit, nam vires medicinales nullae ei insunt.

44. *Bryonia.*

§. 54. *Bryonia alba.* Planta indigena. — *Radix.* — *Succus recens.* Launrübe.

45. *Butyrum.*

§. 55. *Butyrum recens non salitum.* — *Fusum.* Butter.

46. *Cacao.*

§. 56. *Theobroma Cacao.* In Insulis et ad oras Americae meridionalis et in Mexico colitur. — *Fructus.* Cacao-Bohnen.

Praeparata. Butyrum seu Oleum. — *Chocolata* medica.

47. *Cadmia fossilis, seu lapis calaminaris.*

§. 57. *Zincum terrestre.* Ex officinis Goslariensibus adfertur. — *Lapis calaminaris.* Gallmei-Stein.

48. *Calamus aromaticus.*

§. 58. *Acorus Calamus.* Planta indigena. — *Radix.* Callinus.

49. *Calx viva.*

§. 59. *Calcareus aequabilis.* Vbique invenitur. — *Calx viva.* Ungelöschter Kalk.

Praeparata. Aqua.

50. *Camphora.*

§. 60. *Laurus Camphora.* Arbor asiatica. — *Camphora.* Campfer.

Camphora cruda ex India orientali adfertur et apud Batavos depuratur. Prae caeteris illa, quae sine maculis candidissima, et glaciei instar pellucida est, atque accensa in undis flagrat, ac deflagrando tota consumitur, seligi meretur.

Praeparata. Spiritus Vini camphoratus.

Qui fervidae huic substantiae, naturam *salis volatilis oleosi* possidenti, *temperantes vires* adscribunt, videant, ne errorem hunc, in *februm inflammatoriarum et biliosarum* curationibus luant. „Medici olim, *illust. BERGIUS l. c. p. 323.* satis pulchre ait, fallaci fundamento nixi, intempertive *Camphoram* propinarunt, in *pleuritide, febribusque inflammatoriis*, sed ut satis constat, interno sumtam *Camphoram* sanguinem calefacere, ita ut revera pro nociva haberi oportet, ubi pulsus durus, calorque intensus.“ Manet caeterum in illo *februm*, praesertim *puridarum* stadio, quo pul-

sus concidit, vires deficiunt, praestantissimum remedium, quod simul *putredini* quam optime resistit, et hoc modo illum *esuriens febrilem*, qui ab *aucta putredine* oritur, mitigat et temperat.

51. Cancer.

§. 61. *Cancer Astacus*. In lacubus et fegni-
bus huminibus totius Europae reperitur. — *Lapides*.
Krebs-Steine.

Lapides cancerorum genuini, in *Acido Nitri* soluti, re-
praesentant cuticulam in lapidum forma. *Artefacti* ex
terra calcarea insuper non habent compagem lamellosam.

52. Cannabis.

§. 62. *Cannabis sativa*. Nostra, annua, sativa. —
Semen. Hanf-Samen.

53. Cantharides.

§. 63. *Meloe vesicatorius*. Per omnem Europam
annis siccoribus, Iulio mense, Fraxinum, Ligustrum,
Caprifolium, aliasque plures plantas devastant. —
Cantharides. Spanische-Fliegen.

Praeparata. Tinctura.

54. Caoutchou seu resina elastica.

§. 64. Est succus induratus arboris copiose in
America meridionali crescentis. — *Resina elastica*.
Leder-Harz.

Nec in *Aqua*, nec in *Spiritu Vini* solubilis, in *Oleis de-
stillatis*, si dissolvitur, suam elasticitatem perdit; dissolvatur
itaque *Naphtha Vitrioli*, quando *tubos, catheteres* et alia instru-
menta ad usus chirurgicos inde formari volumus. Vid. *clar.*
THEDENIVM von elastischen Cathetern.

55. Cardamomum minus.

§. 65. *Amomum Cardomomum*. Indiae civis. —
Capsulae cum seminibus. Cardamomen.

Praeparata. Essentia.

56. Carduus benedictus.

§. 66. *Centaurea benedicta*. In calidiori Europa
spontanea, nobis hortensis. — *Herba*. Cardobene-
dicten-Kraut.

57. *Carduus tomentosus.*

§. 67. *Onopordon Acanthium.* Ubique crescit. —
Herba recens. Große Zellen-Blume.

Succum expressum BORELLVS, STAHLIVS, TIMMER-
MANNVS et GOELICKE cum linteo filatim carpto, *carcino-*
mari faciei, felici cum successu applicarunt. Nobis deest
experientia.

58. *Carex arenaria.*

§. 68. *Carex arenaria.* In Europae locis arenosis
crescit. — *Radix.* Sandriedgras-Wurzel.

59. *Carica.*

§. 69. *Ficus Carica.* Asiae et Europae meridionalis
incola; apud nos in hortis colitur. — *Fructus.* Feigen.

60. *Carvum.*

§. 70. *Carum Carvi.* In pratis et pascuis crescit.
— *Semen.* Kümmel.

61. *Caryophyllata.*

§. 71. *Cicum urbanum.* In sylvis et locis umbro-
sis ad sepes crescit. — *Radix.* Benediktenkraut oder
Nelken-Wurzel.

62. *Caryophylli aromatici.*

§. 72. *Caryophyllus aromaticus.* Arbor Molucca-
na. — *Fructus.* Gewürz-Nelken.

Praeparata. Oleum destillatum.

63. *Cascarilla.*

§. 73. *Croton Cascarilla.* Arbor Americana. —
Cortex. Caskerill-Rinde.

Cortex hic fit ponderosus, saporis amarissimi et
odoris, quando prunis iniicitur, grati, et ad *Moschum*
accedentis.

Praeparata. Essentia. — Extractum.

64. *Cassia fistula.*

§. 74. *Cassia fistula.* Arbor Indiae orientalis. —
Fructus. Cassien.

Praeparata. Pulpa.

65. *Castor.*

§. 75. *Castor Fiber.* In Lapponia, Sibiria, Canada vivens. — *Castoreum.* — *Axungia.* Biebergeil.

Optimum est *Russicum*, et illud, quod ex *America septentrionali* venit, eo bonitate et viribus multo est inferius: quod ex *Anglia* in oblongis sacculis accipimus, omnium vilissimum est.

Castoreum bonae notae inclusum sit magnis sacculis, ponderosum et siccum; odoris penetrantis, ingrati, saporisque amari nauseosi. *Artefactum* penetranti odore et sapore privatum est, frustulosum, resinofum aut pinguedinosum; non inveniuntur etiam in eo membranae immixtae, et sacculi non tam gibbosi sunt, quam in sincero.

Praeparata. Essentia.

66. *Catechu* seu *Succus Iaponicus* —
vulgo *Terra Iaponica.*

§. 76. *Mimosa Cate.* Planta Indiae orientalis. — *Succus qui est resinoso-gummofus.* Catechu-Saft. Iaponische Erde.

Adulteratur terra argillacea punicea, quae vero in *Aceto*, *Vino* et *Spiritu Vini* non solvitur, uti *succus genuinus.*

67. *Centaureum minus.*

§. 77. *Gentiana Centaureum.* Indigena. — *Comae floridae.* Klein tausend-gulden-Kraut.

68. *Cepa.*

§. 78. *Allium Cepa.* Hortensis. — *Radix.* Zwiebel.

CERA ALBA. vid. N. 17.

CERA CITRINA. vid. N. 17.

CERA VIRIDIS. vid. N. 17.

69. *Cerasus acida.*

§. 79. *Prunus Cerasus.* In hortis colitur. — *Fructus recentes.* Saure Kirschen. — *Gummi.*

Praeparata. Succus. — Syrupus.

70. *Cerasus nigra*.

§. 80. *Prunus avium*. In omni Europa vulgaris. — *Fruktus recentes*. Holz-Kirschen.

Praeparata. Aqua destillata.

CERVSSA IN LAMINIS. vid. *Plumbum*

71. *Cervus*.

§. 81. *Cervus Elaphus*. In omni Europa. — *Cornu*. Hirsch-Horn. — *Sevum*. Hirsch-Talg.

Praeparata. Liquor succinatus. — Oleum animale Dippelii. — Oleum foetidum. — Sal volatile. — Spiritus rectificatus.

72. *Chaerifolium*.

§. 82. *Scandix Cerefolium*. In hortis colitur. — *Herba recens*. Koerbel.

Praeparata. Aqua destillata.

73. *Chamomilla Romana*.

§. 83. *Anthemis nobilis*. Passim crescit in Europa et in hortis colitur. — *Flores*. Römische Camillen.

Praestantior est *Chamomilla vulgari*, inde etiam in Anglia sola officinalis. Merito itaque ad praeparata haec recipienda.

Praeparata. Aqua destillata. — Extractum. — Oleum destillatum.

Infusum florum saturatum in multis vomitum excitat.

74. *Chamomilla vulgaris*.

§. 84. *Matricaria Chamomilla*. Vbique crescit. — *Flores*. Camillen-Blumen.

Flores hi a *Cotula foetida*, sollicitè distinguendi sunt.

75. *Chelidonium maius*.

§. 85. *Chelidonium maius*. Per omnem Europam vulgaris. — *Herba recens*. — *Radix*. Groses Schell-Kraut.

76. *China chinæ seu cortex
peruvianus.*

§. 86. *Cinchona officinarum.* Arbor Americae meridionalis. — *Cortex.* China- oder peruvianische- auch Fieber-rinde.

Praeparata. Essentia composita Rob. Whyttii. — Essentia simplex. — Extractum aquosum. — Extractum vinosum. — Morsuli. — Syrupus.

Tres divini nostri corticis dantur species. *Prima*, quam adhuc Pharmacopoei dispensant, et quae optima species promuntiata fuit: Cortex nempe crassitie mediocri, foris scaber, paululum canescens, intus laevis, coloris ferruginei, et quae, uti *Clar.* ARROT observat, ab arboribus iunioribus defumitur. *Alter*a species est sic dictus *cortex peruvianus ruber*, qui abhinc aliquot annis in usum revocatus, et sine dubio illa species est, quam MORTONVS et SYDENHAMVS tanquam infallibile remedium declarant. Verosimile est, uti *celebres viri*, WITHERING, FOTHERGILL et SAVNDERS putant, hanc a truncis seu ramis maioribus arborum acquiri. (*) *Cortex* vero iste *ruber* ex maioribus et crassioribus fragmentis constat, quam communis ille, qui huc usque in Pharmacopoeis prostat. Ex tribus compactus est lamellis, quarum exterior tennis, scabra, ut plurimum musco obducta, et coloris ex rubicundo fulci est. Media lamella est crassior, magis densa et colore saturatior. In hac residet *pars resinosa*, qua maiori copia *communem* superat. Valde insuper fragilis est. Interior tandem magis lignosa, fibrata est et colore rubro saturatior, quam antecedentes. Fragmenta huius *corticis rubri* maxime fragilia sunt, et si franguntur, nullas fetucas reddunt. Si in pulverem comminuitur, lamella media, pistillo magis, quam caeterae resistit. Experimenta, quae *illustr.* SAVNDERS et B. COTHENIVS hac specie instituerunt, docent: 1. *rubrum corticem* solubiliorem esse tam in *Aqua*, quam in *Spiritu Vini*, quam *communem*. 2. Efficaciorum esse et magis resinosum. 3. Partes efficaces tunc etiam,

(*) *Clar.* IRWING peculiarem arborem esse, de qua *ruber cortex* venit, statuit. Vid. Eius Versuche mit der rothen und feindröhrihten peruvianischen Rinde DAVIDSON in Philosoph. Transact. 74. B. novae adhuc speciei meminit, quam ALEX. ANDERSON in Insula S. Luciae invenit. An in minori dosi data, cum communi Cortice eosdem, quin praestantiores effectus producat, experientia docebit.

etiam, quando valde dilutae sunt, in maiori gradu notabiles proprietates exserere, quam saturissimam solutionem *corticis communis*. 4. In coctione talem dissolutionem non experiri, quam *communis*. 5. *Corticem rubrum* maiori virtute tonica dotatum esse, et tandem 6. Maiores habere vires contra putredinem valentes. Vid. WILLIAM SAVNDERS *observations on the superior efficacy of the red peruvianbark*, et translationem germanicam editam a clar. LUDWIGIO. COETHENII *Chymische Vntersuchung der rothen Fieber - Rinde*. ORLOVII *Programma de cortice peruviano rubro*. Regiom. 1783. Tertia denique species, quae merito plane ex usu medico reicitur, quia tota fere lignea est, illa est, quacum impostores *corticem rubrum* adulterant, vel imperitis pro eo vendunt, quia etiam ex magnis et crassis fragmentis constat. Sine dubio, ante triginta et plures annos, ex hoc dolo opinio orta est, eum *corticem*, qui ex teneris et levioribus fragmentis constat, optimum et solum sincerum esse.

Ad detegendam *corticis* integritatem, aliqua portio eius coquitur cum *Aquae* exigua quantitate; quando *Decoctum* dummodo calidum est, rubicundum retinet colorem, refrigeratum vero pallidiorem acquirit, et praecipitatum in eo oritur, bonae esse notae *corticem* indicat.

77. *Cicuta*.

§. 87. *Conium maculatum*. In ruderatis, fimetis, paludosis et ad pagos in hortis crescit. — *Herba*. Schierling.

Praeparata. Emplastrum. — Extractum.

Planta virulenta est. Videatur, ne, cum *Pbellandrio*, vel *Aethusa Cynapio*, vel *Chaerophyllo* variis speciebus, mutetur. Ex proprio quodam ingrato odore, facile a plantis ei similibus dignoscitur. Vid. *illustr. GMELINUM, Von den Giften, die in Schwaben wild wachsen*.

78. *Cina seu santonicum*.

§. 88. *Artemisia contra*. Planta orientalis. — *Semen*. Wurm- oder Zittwer-Samen.

Ex *Aleppo allatum* optimum est, hoc excipit *orientale*, quod rursus *indicum* post se relinquit; *barbarum* seu *africanum* vilissimum est.

Adulteratur interdum *semine Abrotani*; hoc vero flavescens est, leve et magis stramini in pulverem comminu-

minuto simile est, quam femini. *Semen Santonicum* e contrario ex granis constat maioribus, oblongis, coloris viridescens; praeterea habet saporem magis aromaticum et amarum.

79. *Cineres clavellati.*

§. 89. Sal hoc fixum lixiviosum, in nostra Hassia et aliis regionibus ex cineribus lignorum paratur. — *Cineres clavellati.* Potasche.

Praeparata. Liquamen cinerum clavellatorum, vulgo Oleum Tartari per deliquium.

80. *Cinnamomum.*

§. 90. *Laurus Cinnamomum.* Arbor Zeilaniae. — *Cortex.* Zimmt.

Praeparata. Tinctura.

Est *cortex interior* inter lignum et crustam seu pelliculam cineream, tenuem, scabram. Vid. GEOFFROY *Mar. med.* T. II. p. 166.

81. *Citrus.*

§. 91. *Citrus medica.* Arbor Europae australis. — *Fructus.* — *Cortex eius.* — *Flavedo.* Citronen.

Praeparata. Oleum expressum. — *Succus.* — *Syrupus.*

CLAVELLI CANELLAE. vid. *Flores Cassiae.*

82. *Coccognidium seu Mezereum.*

§. 92. *Daphne Mezereum* et *Daphne Laureola.* Frutex indigenus. — *Cortex radice recens.* Seidelbast-Rinde.

Externo usui tantum dicatus sit.

83. *Cochlearia.*

§. 93. *Cochlearia officinarum.* Indigena, — *Herba recens.* Loeffel-Kraut.

Praeparata. Spiritus.

84. *Colchicum*.

§. 94. *Colchicum autumnale*. In pratis crescit. —
Radix. Zeitlose.

Praeparata. Acetum. — Oxymel.

COLLA PISCIVM vid. *Ichthyocolla*.

85. *Colocynthis*.

§. 95. *Cucumis Colocynthis*. Syriae, Aegyptiae
et Graeciae incola. — Poma. Coloquinten.

Purgans drasticum, usui externo clysmatico potius et
nunquam interno dicatum.

COLOPHONIVM. vid. N. 1.

86. *Columbo*.

§. 96. *Colombo*. Zeiloniae incola. — Radix.
Columba-Wurzel.

Progressu temporis amarities diminuitur, et facile
radix haec, quam REDI iam novit, cariiosa evadit.

Eo magis, radix haec, praemisissis praemittendis, in cho-
lera, febribus biliosis, diarrhoeis variis, dysenteria, ventriculi
imbecillitate, vomitu bilioso, nausea et vomitu gravidarum et
infantum dentitione laborantium prodest, cum neque adstrin-
gendo, neque calefaciendo agat, et ubi nausea adest, eam
quam optime aufert. Datur ad mentem B. SPIELMANNI
vel in pulvere ad Drachmam integram omni tri — quadri-
horio, vel in Infuso, quod vel vinosum, vel aquosum esse
potest, ad Drachmas sex usque integram Unciam. Vid.
THOM. PERCIVAL *Essays medical*. V. II. *perill*, MURRAY
medizinische Bibliothek 3. B. 2. St. p. 321. ubi illustr. DAHL-
BERGIVS, in Epistola amico suo vires modo laudatas testa-
tur et confirmat. GAUBII *Adversar. med. illustr.* CAR-
THEUSERI *pecul. Differr.* et SPIELMANNI *Pharm. gener.*
P. I. p. 87. Ad Grana quindecim in pulveris forma data haec
radix clar. MOORE, ei adscribit vim leniter laxantem.

87. *Consolida maior*.

§. 97. *Symphytum officinale*. Spontanea, vulgatif-
sima. — Radix. Schwarz- oder Wall-Wurzel.

88. *Contrayerva*.

§. 98. *Psoralea pentaphylla*. Peruviana, mexica-
na. — Radix. Peruvianische Gift-Wurzel.

Cer-

Certant adhuc Botanici de plantae speciei radicis nostrae. Esse speciem *Passiflorae* HERNANDVS, *Commelinae* BANISTERVS, *Kaempferiae* CAMELLVS, *Aristolochiae* SLOANVS, *Dorsteniae* HOVSTONVS, LINNAEVVS, *Drakenae* EDITORES alterius edit. *Pharm. succ.* et BERGIUS statuerunt; sed *illustr.* SCHREBERVS; Botanicorum nostrorum merito princeps, cum B. IVSSIAEO *Pforaleam pentaphyllam* pro genuina *Contrayerva* iudicavit. Vid. LINN. *Mat. Med. edit. ab illustr.* SCHREBERO p. 53.

89. *Coriandrum.*

§. 99. *Coriandrum sativum.* In agro Erfordensi et Bambergensi copiose colitur: in Italia et Palaestina sponte crescit. — *Semen.* Coriander.

CORTEX PERUVIANVS. vid. N. 76.

90. *Crocus.*

§. 100. *Crocus sativus.* In Africa crescit et in Austria, Anglia et Hispania colitur. — *Stigmata.* Safran.

Optimus ille est, qui ex Africa venit, quem bonitate sequitur austriacus, vilissimus autem qui in Hispania crescit, ille enim cum *Oleo* inungitur.

Praeparata. Tinctura.

Carthami flore plerumque adulteratur, qui tamen e colore dilutiori cognoscitur; praeterea *Croci veri stigmata*, cuneata forma cognoscuntur. Interdum etiam cum carnis fibris miscetur.

91. *Cucumis.*

§. 101. *Cucumis sativus.* In hortis colitur. — *Succus expressus.* Gurke. Cucumer.

Succum hunc in *phrasi* iam ORIBASIVS laudavit, et nostro aevo eius praestantiam B. MVZELIVS testatus est. Quamquam *febrem* mitigat, *sitim* temperat, *expectationem* corrigit et tali modo miseras afflictorum tolerabiliores reddit, neutiquam tamen morbum hunc rebellem sanare potest.

92. *Cuprum.*

§. 102. *Cuprum nativum.* In plurimis Europae provinciis invenitur. — *Limatura Cupri.* Gefeiltes Kupfer. — *Aerugo* seu *Viride aeris.* Grünspan.

Eli.

Eligendum est *Viride aeris*, quod colore ad coeruleum vergit, et quod *Creta* non adulteratum sit.

Praeparata. Cuprum ammoniacale. — Oxymel aeruginis.

93. *Cydonia.*

§. 103. *Pyrus Cydonia.* Hortensis. — *Fructus.* — *Semina.* Quitten.

Praeparata. Diacydonium, — Succus.

94. *Datura.*

§. 104. *Datura Stramonium.* Frequens in Europa invenitur. — *Herba recens.* Stechapfel.

Praeparata. Extractum.

Planta summe narcotica est.

95. *Daucus sativus.*

§. 105. *Daucus Carota.* Hortensis. — *Radix.* Gelbe Möhren oder Rüben.

Praeparata. Succus.

Cataplasma ex *Dauci radicibus*, in *ulceribus cacoethicis* et *carcinomatosis* multum levamen affert. *Dolores* sedat, *suppurationem* et *foetorem* coerctet et *margines callosos* emollit. De effectu hoc salutari pulchre egit *clar. SVLZERVUS* in *Journ. de Med.* T. 24 p. 68. et confirmavit eum *clar. GIBSON* in *medical. observ. and inquir.* T. 4. p. 183. „Patet exinde, *illustr. BERGIVS* l. c. T. I. p. 191. pergit, quod „*Cataplasma* e *Dauco* *raso*, frigide applicatum, brevi spatio, „saepe post primam applicationem, omnem odorem *ulceris foetidum* tollit, *dolorem* mitigat, et *stillicidium ichorosum* in „melius vertit, sive sit *ulcus cancriformum*, seu *syphiliticum*, *scorbuticum*, vel *scrophulosum*. *Cancrum penis* non curavit, „sed in binis aliis casibus, scilicet, in *ulcere phagedaenico pedis*, et in *ulcere carcinomatoso glandulae inguinalis*, propinato simul *Infusio Maltae* et *victu antiscorbutico* ex *Nasturtio aquatico* et *Raphano* profuit. *Clar. ARTHUR NICOLSON* „*herbam Conii* cum *radice Dauci* coniunxit in *Cataplasma* „coctum, quod validius operatum fuit in *cancro scrophuloso*, „quam purum *Cataplasma* e *Dauco*; *ulcusque cancriformum* fere „sanatum erat, dum *orthopnoea* correpta, cum *stridore dentium*, subito exspiravit aegra. Vidi virginem generosam, „*cancro scrophuloso* afflictam, cui *Cataplasma* e *radice Dauci* „appli-

„applicatum fuit, certe cum levamine, tameti, curam non
 „perfecit; quoties *Cataplasma* mutaretur, illud semper quasi
 „*calcare* quadam *Materia* obductum apparuit.”

96. *Dictamnus albus.*

§. 106. *Dictamnus albus.* In Germaniae, Galliae
 et Italiae collibus crescit. — *Radix.* Weisser Diptam.

Perillustr. L. B. A STOERCK vires huius *radicis* in *ver-*
nibus egregias expertus est. Vid. *Eius Tract. de Flammula*
Iovis. Caeterum praesertim laudatur in *epilepsia a vernibus*
orta. Datur a Scrupulo uno usque ad dimidiam Drachmam.

97. *Digitalis purpurea.*

§. 107. *Digitalis purpurea.* In Europae fylvis
 crescit. — *Herba.* Rother Fingerhut.

Videatur ne cum *Verbasc* commutetur. *Pulvis*
foliorum ad folis radios vel moderato ignis calore sicca-
 tus; sit coloris amoeni viridis.

Ad *Medicamenta drastica* pertinet. Adultis datur in
forma pulveris a Grano uno usque ad tria, vel sola, vel cum
 aromate quodam mixta, bis-terve in die. Seu Drachma eius
 cum Libris duabus *Aquae ferventis* infundatur per quatuor
 horarum spatium; de quo *Infuso* addita Vncia cuiusdam
Aquae spirituosae, capiat aeger Vnciam dimidiam, unam usque
 ad sesquinciamp bis-terve in die. Vid. *clar.* MICHAELIS
translationem germanicam libelli, quem de hac planta *illustr.*
 WITHERING edidit, sub titulo Dr. W. WITHERINGS
Abhandlung vom rothen Fingerhut und dessen Anwendung in
der praktischen Heilkunde, vorzüglich in der Wassersucht und
einigen andern Krankheiten. In *pectoris hydrop* summum in-
 de vidimus effectum: *urinam* copiose promovet, *expectora-*
tionem largam excitat, hincque *dyspnoeam* tollit, *somnum*
placidum restituit, et saepe etiam inde copiosum *sudorem*
 noctu vidimus, quum in diei spatio *urinam* valde ciebat.
 Dedimus primis diebus bis in die ad granum unum, postea
 duo et tandem tria. Tali modo data nunquam *diarrhoeas*
 in nostris aegris observavimus, *Nauseam* vero insignem et
 interdum *vomitum*. Profuit nobis etiam in *mania*.

Digitalis purpureae efficacia, praesertim in *pectoris hydrop*,
 etiam confirmatur in *Läkaren och Naturforskaren* G. B. Con-
 sultum esse, ibi notatur, postquam per V. vel VI. dierum
 spatium illa adhibita fuerit, eius usum per aliquot dies
 transferri. *Opiatorum* additio, quae suaderetur, minime imi-
 tanda, *aromaticorum* vero multo magis saepe necessaria est.

98. *Dulcamara.*

§. 108. *Solanum Dulcamara.* Indigena. — *Stipites.* Bitterfús.

Male usus horum *stipitum* a multis negligitur. Profunt in affectibus *rheumaticis, arthriticis, scrophulosis* et *venereis*. Drachma vel sesquidrachma contundatur, coquatur cum Libris duabus *Aquae*, donec dimidia pars remaneat; et huius portionis pars una, mane, alteraque vesperi cum *Lacte* capiatur. Sub initio saepe largior *Dulcamarae* usus *nauseam* et *vomitum* excitat. Vid. *clar. KVHNII tract. von dem wahren heilsamen und in Vergessenheit gekommenen Bitterfús.*

99. *Enula.*

§. 109. *Inula Helenium.* In hortis colitur et Europae temperatoris est incola. — *Radix.* Alant.

Decoctum radices Enulae sale Ammoniaco maritatum, in *scabie externe* semper optimo cum effectu adhibuimus. Numne *Decocto* huic *interne* dato, praecipua vis, ad expellendum ex corpore nostro *Mercurium*, adscribenda sit? non diiudicabimus.

100. *Erysimum.*

§. 110. *Erysimum officinale.* Indigenum. — *Herba recens.* Weg-Senf.

101. *Euphorbium.*

§. 111. *Euphorbia officinalis.* In Aethiopia, India, orientali et Africa crescit. — *Gummi-Resina.* Euphorbium.

Praeparata. Tinctura.

Externe vix quidquam praestantius, ad *caviam ossium* auferendam, invenitur: sed *interne*, ob summam suam *acrimoniam* et *causticam* indolem, non adhibeatur. Inconsulto etiam *rubefacientibus* et *damnose sternutatoriis* adiicitur.

102. *Farfara.*

§. 112. *Tussilago Farfara.* Indigena. — *Herba* — *Flores* — *Radix.* Huflattig.

Tussilaginem nostram in *morbis scrophulosis* iam laudavit FVLLERVS in *medic. gymnast.* p. 86. PERCIVAL in *ulceribus scrophulosis* efficacioram eam pronuntiat ipso *cortice peruviano* et *Cicuta*, et *clar. GOOCH* cum *Decocto saturato* huius *herbae*,

herbae, sanavit virum multis *ulceribus* talis generis in pedibus laborantem, in quibus varia efficacia remedia antea, sed sine effectu adhibita fuerunt. Pari modo *clar.* MEYERVS *Medicus Hamburgensis*, in *nosocomio Iudaeorum* tres casus in *perillustr.* BALDINGERI *Magazin für Aerzte* 7. B. 1. St. communicat, ubi in hoc morbo *Decoctum saturatissimum* medelam praestitit. Etiam in *rinca capitis* et *crusta lactea* laudatur.

103. *Fel Tauri.*

§. 113. *Bos Taurus.* In omni Europa cicur. — *Fel Tauri.* Ochsen-Galle.

Praeparata. *Fel Tauri inspissatum.*

104. *Ferrum.*

§. 114. *Ferrum selectum.* In variis Europae provincis frequens invenitur. — *Limatura Martis.* Eisenfeilspäne.

Praeparata. *Extractum.* — *Globuli martiales.* — *Sal martis.* *Tinctura.*

FICVS. vid. N. 50.

105. *Filix.*

§. 115. *Polypodium Filix mas.* Indigena. — *Radix.* Farrenkraut.

Hanc speciem DIOSCORIDEM pro usu medico adhibuisse, valde verosimile est. *Clar.* ANDRY *Filicem feminam*, quae est *Pteris aquilina* Linn. praescribit, quem etiam *Pharmac. Würtembergica* in ultima editione et *illustr.* SCHLERETH in *Dispensatorio Fuldensi* sequuntur. Viribus utrasque species convenire, extra dubium ponimus,

106. *Flammula Iovis.*

§. 116. *Clematis recta.* In Europa calidiori sponte crescit, apud nos in hortis colitur. — *Herba.* Brennkraut. Waldrebe.

107. *Flores cassiae.*

§. 117. *Laurus Cassia.* Arbor Indiae orientalis. — *Flores inaperti,* *Flores Cassiae dicti.*

Praeparata. *Aqua destillata.* — *Aqua spirituo-*
sa. — *Oleum destillatum,*

108.

108. *Foeniculum dulce.*

§. 118. *Anethum Foeniculum.* E Misnia, Thüringia et Franconia adfertur, etiam in hortis apud nos colitur. In Europa calida sponte crescit. — *Semen.* Süßer Fenchel - Same.

Foeniculum dulce, semina feminibus de *Foeniculo communi,* maiora habet et crassiora, omnino dulciora. Praecedunt suavitate *communi,* hinc merito ei praefendum.

Praeparata. Aqua destillata. — Oleum destillatum.

109. *Foenum graecum.*

§. 119. *Trigonella Foenum Graecum.* E Thüringia et Franconia copiose adfertur. In Gallia meridionali sponte crescit. — *Semen.* Bockshorn - Same.

110. *Formicae.*

§. 120. *Formica rufa.* Vbique in sylvis. *Formicae cum acervo.* Ameisen.

Praeparata. Spiritus.

111. *Fuligo.*

§. 121. *Fuligo splendens.* Camin - Rufs.

Praeparata. Essentia Claudi.

112. *Fumaria.*

§. 122. *Fumaria officinalis.* Vbique crescit. — *Herba recens.* Erdrauch.

113. *Galanga minor.*

§. 123. *Maranta Galanga.* Planta asiatica. — *Radix.* Kleiner Galgant.

In India orientali colitur haec planta pro usu culinari, ad cibum condiendum. Est minus calida magisque sapida *radice Zingiberis.*

114. *Gallae turcicae.*

§. 124. *Cynips Quercus orientalis.* In Graecia, Turcia et Hungaria invenitur. — *Habitacula seu Nidi.* Galläpfel.

Piderit Pharmacia,

C

Gallae

Gallae bonae notae, sunt, vel ex glauco nigricantes, vel flavescentes, ponderosae, multis tuberculis praeditae, et intus nucleum fuscum habent.

Maculas hepaticas quam optime depellit, praemissis *leniter alvum ducentibus* et *diapnoicis*, *Decoctum Gallarum*, cum quo laventur partes affectae.

115. *Gentiana rubra.*

§. 125. *Gentiana lutea.* In Alpibus copiose crescit. — *Radix.* Rothe Entzian-Wurzel.

Praeparata. *Essentia.* — *Extractum.*

Interdum *Radix nostra* cum *Ranunculo Thora Linn.* adulteratur, ex cuius usu *convulsiones, paralyses* sequuntur, et aegroti muti et coeci fiunt. Dignoscitur *radix haec venenosa a Gentianae*, colore ex fusco nigricanti, quem exterius haec habet, et colore flavo interne destituta, quo *Gentiana* gaudet. Praeterea *radix Ranunculi* valde fragilis est, et odorem habet nauseosum saporemque acrem urentem.

116. *Gramen.*

§. 126. *Triticum repens.* Vbique crescit. — *Radix.* Quecken-Wurzel.

Etiam ex aliis *Graminum speciebus radices* desumantur.

Praeparata. *Extractum.*

Succus radice recens expressus, ad aliquot Uncias quovis die, per aliquot septimanas datus, efficacissimum est *remedium resolvens*, et vera ancora *hypochondriacorum*.

117. *Granatum.*

§. 127. *Punica Granatum.* Asiae et Europae meridionalis incola. — *Cortex, Malicorium dictus.* — *Flores, Balauftia dicti.* Granat-Aepfel. Rinde und Blüthe,

118. *Gratiola.*

§. 128. *Gratiola officinalis.* Indigena. — *Herba.* Gottesgnaden-Kraut.

De *Gratiolae* virtutibus vid. KOSTRZEWSKY *Diff.* quam recusam inven. in *clar. WASSERBERGII Collect. Fasc. III.*

119. *Guaiacum.*

§. 129. *Guaiacum officinale.* Arbor Americana. — *Lignum.* — *Cortex Ligni.* — *Resina.* Franzosen-Holz.
Lignum

Lignum sanctum sic dictum, alia species est, *Guaiaci sancti* Linn. nimirum; colore est pallidiori et pondere leviori; viribus vero cum *officinali* convenit.

Si solutioni *Resinae*, quae improprie *Gummi* appellatur, cum *Spiritu Vini*, aliquid *Spiritus salis Ammoniaci* insillitur, color coeruleus exurgit, quando *Resina* sincera est.

Praeparata. Tinctura volatilis.

120. *Gummi ammoniacum.*

§. 130. *Ammoniacum.* Ex deserto Africae Barca Alexandriam, et inde ad nos perducitur. Plantam unde obtineatur, ignoramus. — *Gummi-resina.* Ammoniak-Gummi.

Grumis flavescens, ex quibus *Gummi* constat, ingens granorum numerus lactei coloris, quae unguis, seu amygdalas appellant, inhaeret; quo uberiori horum unguum copia *Gummi* nostrum abundat, eo melioris notae est.

121. *Gummi Arabicum seu Senegal.*

§. 131. *Mimosa Senegal* et *Mimosa Nilotica.* Ex Arabia venit. — *Gummi.* Arabisches Gummi.

Plures *Mimosae* species hoc *Gummi* fovere ADANSON et SPIELMANNVS *Pharm. gener. P. I. p. 34.* probant. Quod a *Senegal* denominatur praestantius est *communis Arabico*, maiora et pallidiora frustula sistit. Quadruplum *Aquae*, *Gummi* nostrum in *Syrupi* consistentiam redigit.

GUMMI BENZOE. vid. *Resina Benzoe.*

GUMMI ELEMI. vid. *Resina Elemi.*

GUMMI GALBANVM. vid. *Resina Galbani.*

GUMMI GVAIACVM. vid. N. 119.

122. *Gummi Guttae.*

§. 132. *Cambogia Gutta.* Arbor Indiae orientalis. — *Succus resinoso-gummosus.* Gummi Gutt.

GUMMI LACCAE. vid. *Resina Laccae.*

GUMMI MASTICHES. vid. *Resina Mastiches.*

GUMMI SANDARACA. vid. *Juniperus.*

GUMMI SENEGAL, vid. N. 121.

123. *Gummi Tragacanthae.*

§. 133. *Astragalus Tragacantha.* In Gallia meridionali, Italia, Graeciae Insulis et Oriente crescit. — *Gummi.* Gummi traganth.

Quae in *Sorten* dicuntur frustra colorata, sordibus inquinata, et quae sub nomine *Gummi de Balsora* accipimus, reicienda sunt. Caeterum pars *Gummi* nostri exigua, magnam *Aquae* copiam, Drachma enim tres Uncias, in mucilaginem vertit.

124. *Hedera terrestris.*

§. 134. *Glechoma hederacea.* Indigena. — *Herba.* Gundelrebe.

125. *Helleborus niger.*

§. 135. *Helleborus niger.* In Alpibus calidioris Europae crescit et in hortis colitur. — *Radix.* Schwarze Nieß-Wurzel.

Præparata. Extractum.

Hellebori nigri radices adulterantur: 1. cum *Helleboro albo*, in hoc vero capitulum radice magis oblongum est et crassius, color etiam tam radice quam fibrarum eius albicans est, insuper saporem magis nauseosum et amariorem habet. 2. Cum *radice Adonidis vernalis Linn.* haec vero praedita est breviori capitulo et longioribus fibris, et siccata color eius magis fusco nigrior est, quam in *Helleboro vero*. 3. Tandem cum *radice Aconiti Napelli*, quae autem cognoscitur, longiori capitulo instar *vapae*, et fibrae siccatae canae nigricantes et tenuiores spadiceae sunt. Inprimis caveant Pharmacopoei a *radice* apud Materialistas et Rhizotomos passim obvia, quae fibras habet tenuissimas, nigerrimas, gustantis linguam primum sapore non adeo ingrato, sed postmodum acri nauseoso inficiente, et caput per aliquot horas imo integrum diem tentaute.

126. *Helminthochorton.*

§. 136. *Fucus Helminthochortos seu Lemithochortos.* Est Confervae species, quae in mari, quod Corsicam aluit, colligitur. — *Helminthochorton.* Corsicanisch Moos.

Adulteratur interdum *Lichene castanea Leerßii*, qui vero colore atro puniceo, ramosus, et medullari substantia-

stantia repletus est. Insuper hic in Aqua mollescit et odore fragranti destitutus est.

In Corsica usus eius contra *vermes*, inprimis *lumbricos*, aliquot abhinc seculis celebris fuit. Datur vel in *pulvere*, a Scrupulo uno usque ad integram Drachmam, vel aliquot Drachmae, cum Aquae Vnciiis quatuor, infundantur.

127. *Hirudines.*

§. 137. *Hirudo medicinalis.* In aquis stagnantibus reperiuntur. — *Hirudines vivae.* Blutigel.

Sint depressae nigricantes, supra lineis flavis sex: intermediis nigro arcuatis, subtus cinereae nigro maculatae.

Merito, ut omni tempore reperiri queant, in *aqua pura*, additis *furfuribus tritici*, in pharmacopoliis bene constitutis *Hirudines* asserventur.

HIRVNDINARIA. vid. *Vinceroxicum*.

128. *Hordeum.*

§. 138. *Hordeum distichum.* Vulgare cereale. — *Semen.* Rohe Gerste. — *Semen excorticatum.* Geschaelte Gerste. — *Malta.* Gersten-Malz.

129. *Hyoscyamus niger.*

§. 139. *Hyoscyamus niger.* Indigena planta. — *Folia recentia.* Schwarzes Bilsenkraut.

Praeparata. Extractum.

Planta summe narcotica est.

130. *Hypericum.*

§. 140. *Hypericum quadrangulum.* Indigenum. — *Flores.* Iohannis-Blumen.

Quoniam *Hypericum quadrangulum*, magis refinsum est *perforato*, etiam huic ad usum medicum merito praefertur.

Praeparata. Oleum infusum.

131. *Hyssopus.*

§. 141. *Hyssopus officinalis.* Apud nos hortensis, in Europa calida sponte crescit. — *Herba.* Isop.

Praeparata. Aqua destillata.

132. *Iacea.*

§. 142. *Viola tricolor.* Crescit in agris arenosis et hortis. — *Herba.* Freisam-Kraut. Dreyfaltigkeits-Blume.

133. *Ialappa.*

§. 143. *Convolvulus Ialappa.* Planta americana. — *Radix.* Ialappen-Wurzel.

Ponderosa et compacta esse debet haec *radix.*

Praeparata. Refina.

134. *Ichthyocolla.*

§. 144. *Acipenser Huso.* Wolgaviae piscis. — *Gluten excoctum ex variis membranis aliisque partibus huius piscis.* Hausen-Blase.

Acipenser Sturio et *Acipenser stellatus.* meliorem *Ichthyocollam* largiuntur, quam *Huso.*

135. *Imperatoria.*

§. 145. *Imperatoria Ostruthium.* In montibus crescit et in hortis colitur. — *Radix.* Meisterwurzel.

Infusum vinosum, ad febres intermittentes curandas, pereximium praedicat *perillustr.* BALDINGERVS *Pharm. Edinb. Ed. II. p. 156.*

136. *Ipecacuanba.*

§. 146. *Psychotria emetica.* Venit ex Brasilia. — *Radix.* Brechwurzel. (*)

Si frangitur *vera radix,* *linea alba cineritia,* quam in medio habet, ab *Apocyni radice* dignoscitur, in qua *linea* haec *fulva* apparet.

Non magna eius quantitas insimul in pulverem teri debet, sed tempore usus tantum recenter teratur; aer enim, qui minimas particulas subit, *vim emeticam* aufert.

Variam, pro maiori vel minori, quam *radix* possidet *corticis* quantitate, *emeticam vim* exserit, et modo fortio-
riorem, mode levio-rem edit effectum.

Vires

(*) Quoniam *Ipecacuanbae vires* retro a multis annis comprobatae sint, et merito ad securissima vomitoria pertineat, facile carere possumus *Cinchona Caribaea,* quam *perillustr.* IACQVIN descripsit.

Vires Ipecacuanbae, quas, in minoribus portionibus, ad quartam, tertiam vel dimidiam Grani partem, scilicet post singulas tres quatuorve horas data, in compescendis *haemorrhagiis uteri* exserit, *illustr.* DAHLBERGIUS, BARBEIRAC et BERGIUS testantur. Vid. *Vetensk. acad. handl. V. 31. p. 316.* et *illustr. BERGII Mat. med. T. I. p. 143.* ubi *illustr. vir*, postquam DAHLBERGII propinandi methodum adduxit, „eadem via, pergit, plures ego foeminas sanavi, etiam ubi „quasdam e protracta *haemorrhagia uteri* ferme enervatas „deprehenderam, et quod saepe miratus sum, curat sic *Ipecacuanba* sine relapsu, atque adeo agit in hoc morbo ut verum specificum; namque subinde vidi, foeminas, post paucas eiusdem doses levatas atque deinceps curatas, etsi tota summa *Ipecacuanbae*, ab ipsis sumtae, vix Scrupulum excesserat. Verum tamen idem de aliis non valet *haemorrhagiis*. „In *haemoptysi* nunquam mihi *Ipecacuanba* successit. *Haemorrhoides* nimias eadem semel quidem vidi sufflaminatas fuisse, sed non ita multo post revertisse. In *mictu cruento* ter eam frustra praescripsi.” Nos ex *Ipecacuanbae* praeterea usu, ut ad unum, duo triave Grana, ter quaterve in die dederimus, in *asthmate puitoso*, *hydrope pectoris* et aliis *pectoris affectibus puitosis* summos effectus vidimus.

137. *Iris florentina.*

§. 147. *Iris florentina.* Hortensis et ex Italia copiose affertur. — *Radix.* Florentinische Violenwurzel.

138. *Juglans.*

§. 148. *Juglans regia.* Per omnem Europam provenit. — *Fruktus immaturi.* — *Nux.* Wallnuss.
Praeparata. Extractum. — Oleum expressum.

139. *Juniperus.*

§. 149. *Juniperus communis.* Indigena. — *Lignum.* — *Baccae.* — *Resina vulgo Gummi Sandaraca.* Wachholder.

Praeparata. Aqua. — Roob. — Spiritus.
Diuturnus *baccarum* usus, *urinam reddit cruentam*, uti PISO observavit.

140. *Lac bubulum et caprinum.*

§. 150. *Lac bubulum et caprinum.* Kuh- und Ziegen-Milch.

Praeparata. Saccharum lactis.

141. *Lactuca virosa.*

§. 151. *Lactuca virosa.* In locis incultis crescit.
— *Herba.* Giftiger Lattich.

Lactucam virosam et non *Lactucam scariolam* esse, quam *illustr.* COLLINVS adhibuit, extra dubium nobis positum videtur.

Praeparata. Extractum.

142. *Lapathum acutum.*

§. 152. *Rumex acutus.* Planta indigena. — *Radix.* Grindwurz.

Radix, antequam caulescit *herba*, colligenda est.

LAPIS CALAMINARIS. vid. N. 47.

143. *Lavendula.*

§. 153. *Lavandula spica.* Hortensis; in Europa calida sponte provenit. — *Spica florens.* Lavendel-Blumen.

Praeparata. Oleum destillatum. — Spiritus.

144. *Laurocerasus.*

§. 154. *Prunus Laurocerasus.* Arbor Europae meridionalis, quae apud nos in hortis colitur. — *Folia recentia.* Kirschlorbeer-Blätter.

Praeparata. Aqua destillata.

Planta summe deleteria, et ideo minime *Folia* haec *Lacte* coquantur, cui quidem suavem saporem impertiunt, saepe vero inde, uti VATERVS, DVHAMEL et alii observaverunt, tristissimi et lethales effectus oriuntur.

145. *Laurus.*

§. 155. *Laurus nobilis.* In hortis colitur. Maxima copia *foliorum* e Carinthia, Carniola et Istria accedit. — *Baccae.* — *Folia.* Lorbeeren.

Praeparata. Oleum expressum.

Baccae Lauri, non promiscue a Pharmacopolis venditae sunt, ob vehementem, qua in uterum agunt, virtutem.

146. *Lichen islandicus.*

§. 156. *Lichen islandicus.* In Europae sylvis sterilissimis reperitur, — *Musci.* Isländisches Moos.

Vinz

Vim demulcentem, nutrientem et leniter roborantem quidem possidet, et inde in *affectionibus pectoris pituitosis*, praesertim ubi *pituita acris* adest, et corpus nutriendum est, in *Decocto* valet, sed in *phthisi* tanta non praestat, quae nostro tempore de eo laudata fuerunt. Ad plures Libras incassum dedimus.

Vncia una *Lichenis islandici*, porrigit, si per dimidiam horam cum *Libra Aquae* coquitur, Vncias VII, VIII. *Mucilaginis*. *Libra dimidia Mucilaginis*, cum Vnciis tribus *Lactis* mixta, pro die requiritur.

LIMATVRA CVPRI. vid. N. 92.

LIMATVRA FERRI. vid. N. 104.

147. *Linum*.

§. 157. *Linum usitatissimum*. Ubique colitur. — *Semen*. Lein-Samen.

Praeparata. Oleum expressum.

LIGNVM SANCTVM. vid. N. 119.

148. *Liquiritia*.

§. 158. *Glycyrrhiza glabra et echinata*. In Anglia, Hispania, Germania crescit, in Bambergensi agro praesertim colitur. — *Radix*. Süßholz-wurzel.

Praeparata. Succus inspissatus.

Diu haec *radix* in *Aqua* cocta amarescit, hinc *Decoctis* in fine addi debet.

149. *Lobelia siphilitica*.

§. 159. *Lobelia siphilitica*. In Virginiae sylvis aridis, lutosis crescit. — *Radix*. Cardinals-Blume.

150. *Lycopodium*.

§. 160. *Lycopodium clavatum*. Indigenum. — *Pollen Antherarum*. Bärlappen-Samen.

LITHARGYRIVM. vid. *Plumbum*.

LYSIMACHIA PVRPVREA. vid. *Salicaria*.

MACIS. vid. *Nux Moschata*.

151. *Maiorana*.

§. 161. *Origanum Maiorana*. Hortensis. In calida Europa sponte crescit. — *Herba*. Maioran.

Praeparata. Butyrum seu Vnguentum.

MALICORIVM. vid. N. 117.

MALTA. vid. N. 128.

152. *Malva arborea.*

§. 162. *Alcea rosea.* In Oriente sponte crescit et apud nos in hortis colitur. — Flores. Pappelrosen.

153. *Malva vulgaris.*

§. 163. *Malva rotundifolia.* Vbique crescit. — Herba. Pappelkraut.

154. *Manna calabrina.*

§. 164. *Fraxinus Ornus.* Calabriae Arbor! — Succus natus. Calabrische Manna.

155. *Marrubium album.*

§. 165. *Marrubium vulgare.* Indigenum. — Herba. Weißer Andorn.

Praeparata. Extractum.

156. *Marum verum.*

§. 166. *Teucrium Marum.* Hortensis. In Italia sponte provenit. — Herba. Katzenkraut.

157. *Matricaria.*

§. 167. *Matricaria Parthenium.* Indigena. — Herba, Mutter-Kraut.

MEL. vid. N. 17.

158. *Melilotus.*

§. 168. *Trifolium Melilotus officinalis.* Planta indigena. — Herba. — Flores. Steinklee.

Praeparata. Emplastrum.

159. *Melissa.*

§. 169. *Melissa officinalis.* In hortis colitur. — Herba. Melissen-Kraut.

Praeparata. Aqua destillata. — Spiritus.

160. *Mentha crispa.*

§. 170. *Mentha crispa.* Hortensis. Sibiriae indigena. — Herba. Krautemünze.

161. *Mentha piperita.*

§. 171. *Mentha piperita.* Hortensis. In Anglia sponte provenit. — *Herba.* Pfeffermünze.

Praestantior priori est.

Praeparata. Aqua. — Aqua spirituosa. — Oleum destillatum. — Rotulae.

Infusum huius herbae, in doloribus rheumaticis, artbri-ticis et podagricis magna efficit, et per sudorem, atque urinam morbi materiam educit.

162. *Mercurius vivus.*

§. 172. *Hydrargyrum virgineum.* In variis Europae montibus reperitur. — *Mercurius vivus.* Lebendiges Quecksilber.

Eligatur *Mercurius* purissimus, super chartam facillime currens, nihilque sordidi relinquens, nulla pellicula tectus, in mortario cum *Aqua destillata* tritus, aquam non inquinans, in *cochleari ferreo* super prunas non decrepitans, totus avolans, nullo metallo relicto, in *Acido Nitri* nihil dimittens. Si purus, etiam *Aceto concentrato*, si cum eo teratur, nullam dulcedinem conciliat.

Praeparata. Aethiops antimonialis Huxhami. — Aqua phagedaenica. — Emplastrum mercuriale. — *Mercurius* alcalisatus. — calcinatus ruber. — cinereus. — dulcis. — praecipitatus albus. — sublimatus corrosivus. — Pilulae mercuriales.

163. *Millefolium.*

§. 173. *Achillea Millefolium.* Indigena planta. — *Herba.* — *Summitates.* Schafrippen.

Praeparata. Extractum.

164. *Millefolium nobile.*

§. 174. *Achillea nobilis.* Indigena. — *Herba.* — *Summitates.* Edle Schafrippe.

Priori est odoris multo suavioris, acutioris et magis aromatici.

165.

165. *Millepedes.*

§. 175. *Oniscus Asellus.* In muris antiquis reperiuntur. — *Millepedes vivi.* Lebendige Kellerwürmer. — *Millepedes praeparati.*

Non sub trabibus colligantur.

MINIVM. vid. *Plumbum.*

166. *Moschus.*

§. 176. *Moschus moschiferus.* In Tartaria, Sibiria et China degit. — *Folliculus umbilicalis excretorius.* Bisam.

Optimus est *Tunquinus*, cui bonitate cedit *Bengalensis* et *Moscoviticus*, qui vilissimus habetur. Genuinus laminae candenti impositus fere penitus evaporat, residuo tantum grisei cineris pauxillo.

167. *Myrrha.*

§. 177. *Myrrha.* E planta obscura, secundum *clar. BRUCE* ex *Mimosae* specie, quae in Arabia, Aethiopia, Abyssinia crescit, venit. — *Gummi Resina.* Myrrhen.

Praeparata. Essentia. — Essentia alcalifata. — Extractum aquosum.

168. *Nasturtium aquaticum.*

§. 178. *Sisymbrium Nasturtium.* Indigenum. — *Herba recens.* Brunnenkresse.

169. *Nasturtium hortense.*

§. 179. *Lepidium sativum.* Indigenum. — *Herba recens.* Gartenkresse.

170. *Nicotiana.*

§. 180. *Nicotiana Tabacum.* In agris colitur. — *Folia.* Taback.

171. *Nitrum.*

§. 181. *Nitrum nativum.* Magna eius copia ex Oriente venit, in Europa ex propriis terris peculiari ratione excoquitur. *Nitrum*, quod hic *Cassellis*, a Pharmacopoeo et Chymico solertissimo C. W. FIEDLERO, paratur, bonitate nulli alii cedit. — *Nitrum crudum.* Salpeter.

Eli-

Eligatur *Nitrum* purum, crystallos exhibens prismaticas, in *Aqua* facile solubile, ad ignem facile fluens, non decrepitans, ad contactum phlogisti cum strepitu deflagrans, in aere non farinescens.

Praeparata. Acidum Nitri, vulgo Spiritus Nitri acidus. — Acidum Nitri fumans, vulgo Spiritus Nitri fumans. — Liquor Nitri fixi. — Nitrum crystallifatum. — Spiritus Nitri dulcis.

172. *Nux moschata.*

§. 182. *Myristica officinalis.* Arbor Indiae orientalis, praesertim Moluccarum insularum. — *Nux. Muscaten-Nuss.* — *Macis.* Muscaten-Blumen.

Praeparata. Oleum Macis destillatum. — Oleum Nucis moschatae expressum.

Nux Moschata, in dosi maiori data, exerit effectum narcoticum. Vid. CULLEN *Mat. Med.* 2. B. p. 233. in *transl. germ.*

173. *Nux vomica.*

§. 183. *Strychnus Nux vomica.* Arbor Zeiloniae et Malabaricae. — *Nux vomica.* Kraehenaugen.

Medicamentum heroicum, vomitorium et purgans drasticum est; quod tamen, novissimis Medicorum Suecorum experimentis, utilissimum se exhibuit in *dysenteria*. Multis animalibus *Nuces* has deleterias esse, omni cuique notum est.

174. *Olea.*

§. 184. *Olea Europaea.* Arbor Europae australis; praesertim in Gallia, Hispania et Italia crescit. — *Fructus.* Oliven.

Praeparata. Oleum expressum.

175. *Oleum caieput.*

§. 185. *Melaleuca Leucadendron.* Arbor Indiae orientalis, praesertim Insularum Moluccarum. — *Oleum*, quod ex fructibus arboris acquiritur. Caieput-Oel.

Ab Inventore WITTEBIO, qui Ducis Brunsvicensis Rudolphi Augusti, verbi divini interpretis fuit, et postea Bataviam discessit, etiam *Olei Wittnebiani* nomen gerit.

Oleum

Oleum hocce, quod, secundo nostri seculi decennio, innotescere incepit, et cuius primus mentionem fecit LOCHNERVS in *App. ad Ephem. A. N. C. cent. V. p. 157.* pellucidum est, et communiter colorem habet *viridescentem*. Sed color hic ei non est naturalis, qui *lucido luteus* apparet. Acquirit vero ut plurimum colorem istum *viridescentem*, ex admixtione *resinae Millefolii*, uti *Clar. viri HEYERVS* et *Anonymus quidam* in doctissimis CRELLII collectionibus *chymicis* (*Chymisches Journal 3. T. p. 101. 4. T. p. 251.*) probant. Requirit laud. HEYERVS ad Libram *Olei*, Drachmam unam praedictae *resinae*. Minus placet sententia, quam *Clar. DEHNE* in *Chym. Journal 1. T. p. 112.* profert, colorem nimirum illum ex addito *succo Rhamni cathartici* vel alius *baccae* productum esse. Maiorem vero attentionem merentur experimenta *clar. BINDHEIM*, quae in *illustr. CRELLII Neuesten Entdeckungen 3. T. p. 80.* leguntur, ubi enim in perscrutando *Oleo cupreas partes* ei admixtas observavit. Quanquam *illustr. THUNBERGIVS* refert, magna copia hoc *Oleum* in Banda destillari et *vasis vitreis* in Bataviam transportari, tamen *Anonymus quidam* in *den neuesten Entdeckungen 3. T. p. 83.* transportationem fieri in *vasis aeneis* statuit, unde color tunc oriri potest. Vtcunque vero sit, bene consulimus aegris nostris, si antea, quam Medicamen hoc in usum vocamus, inquiramus, an sit tali modo cum *Cupro* inquinatum, nec ne? Detegitur hoc ex admixtione *Limaturae Martis*, ubi, quando calori modico tunc *Oleum* expositum et filtratum fuit, *Oleum ex albo flavescens* acquirimus. Admisceri etiam possunt *Oleo* aliquot *Guttae Acidi Vitrioli tenuioris*, si tunc post breve temporis spatium aliquid *Aquae* infundatur, color *viridescens* in *Aquam* transit, et *Oleum flavum* apparet. Insuper color *viridescens* ex *Cupro* ortus in *glaucinum* vergit, ex *resina Millefolii* vero obscurior est. *Destillatione* per *Retortam vitream* leni ignis gradu *Oleum* tali modo *cupreis partibus* inquinatum, rectificare possunt *Pharmacopoei*. Venditur etiam interdum *artefactum Oleum*, quod probabiliter

ex

ex *Oleis Cardamomi, Rorismarini* constat, et quoque cum *Millefolii resina* tinctum est.

Eximium et praestantissimum est *Medicamen nervinum* atque *anodynum*, quod in *morbis spasmodicis, colica flatulenta, cardialgia*, praesertim, uti *divinus WERLHOFIVS* pluribus docuit, *podagrica*, in *affectibus hystericis, moribus convulsivis, catalepsi, chorea St. Viti, linguae paralyfi* et *mensium ataxia spasmodica*, praemissis eis, quae prudenti Medico, ante huius *calidi medicamenti* usum, indicata fuerint, satis certo medelam affert. In *vomitu gravidarum* absente *plethora* nobis praesentaneum auxilium praestitit. Datur vel cum *Saccharo*, vel in appropriato vehiculo, e. g. *iufculo carnis tenuiori*, ad quatuor, sex, octo imo duodecim guttas, bis, ter quaterve in die. *Externe sugillationes* et *suffusiones* potenter discutit, et consulto etiam *Vnguentis nervinis* additur. Praeter *Ephem. A. N. C. Commerc. Noric. Aët. Vratislav. Vid.* etiam *illustr. MARTINI Diss. epist. de Oleo Wirnebiano seu Caiepur. 1751.* et *clar. ADAMI Diss. inaug. de Oleo Caiepur. Goett. 1783.*

176. *Oleum petrae seu Petroleum.*

§. 186. *Bitumen Petroleum.* Passim in Europa reperitur. — *Petroleum.* Berg-Oel. Stein-Oel.

Seligatur, si haberi potest, *Bitumen fluidum albicans*, vulgo *Naphtha* dictum, quod reliquis fortiolem, sed minus nauseosum spirat odorem. In *Spiritu Vini* supernatat, nec in eo solvitur, frigore non cogitur, *Mercurium Acido Nitri* solutum praecipitat, colore ad violaceum tendente; *Aurum ex Aqua Regis* attrahit et solutum servat. His notis ab eo cum *Oleo Terebinthinae* adulterato discerni potest. *Nigrum* reliquis spissius, et *rubrum* magis tenue destillatione rectificentur.

Adversus *perniones, tumores induratos et rophos*, et *umbilico* illitum, contra *vermes*, laudatissimum est remedium. In *pernionibus* bene cum *Asa foetida* aut *Allii* et *Ceparum succo* coniungitur. Vid. B. WALLERII *Mineral. p. 253.* Contra *raeniam* insuper, uti B. HASSELQVISTIVS observavit, efficacissimas exserit vires.

177. *Opium.*

§. 187. *Papaver somniferum orientale.* In Oriente exercit. — *Succus inspissatus Opium dictus.* Mohnsaft.

Sit

Sit coloris obscure fusci, saporis amari, odoris tetri, valde inflammabile et combustibile; quando frustum frangitur, debet intus splendere, fere tanquam *Pix nautica*, et post solutionem debet dare Tincturam puniceam. Saepe cum *succo Lactucæ sylvestris*, vel etiam *fimo bubulo* adulteratur.

Praeparata. Extractum. — Laudanum liquidum seu Tinctura thebaica.

178. *Orchis.*

§. 188. *Orchis Morio, Orchis mascula, Orchis militaris.* Indigena. — *Radix.* Stendel-Wurzel.

179. *Origanum creticum.*

§. 189. *Origanum creticum.* In Europa australi et Oriente crescit. — *Herba.* Cretischer Dosten.

180. *Oryza.*

§. 190. *Oryza sativa.* Indica. In America, Italia, Hispania copiose colitur. — *Semen decorticatum.* Reifs.

181. *Ovum.*

§. 191. *Ovum gallinaceum.* Hühnereier. — *Albumen.* — *Vitellus.*

Praeparata. Oleum expressum.

Albumine Ovi provide obstetrices manus muniant, quando feminas *lue venerea* infectas investigant.

182. *Papaver.*

§. 192. *Papaver somniferum.* In hortis et agris colitur. — *Capita.* Mohnköpfe.

Praeparata. Syrupus.

183. *Papaver erraticum.*

§. 183. *Papaver Rhoeas.* Inter segetes crescit. — *Flores.* Klapper-Rosen.

184. *Passulae maiores.*

§. 194. *Vvae passae Vitis viniferae.* Europae australis incola. — *Passulae maiores.* Große Rosinen.

185. *Passulae minores.*

§. 195. *Vvae passae Vitis apyrenae.* In Oriente crescit. — *Passulae minores.* Corinthen. Kleine Rosinen.
PETROLEVM. vid. N. 176.

186. *Phellandrium aquaticum.*

§. 196. *Phellandrium aquaticum.* In locis paludosis crescit. — *Semen.* Wasser-Fenchel. Peerfaat.
Plura de *femine* hoc LANGE promittit, quam praestat.

187. *Pila marina.*

§. 197. *Pila marina.* Formantur ex dissolutis et agitatione maris conglomeratis tuberibus *radicum Zostrae marinae*, quae in Oceano et mari Balthico reperiuntur. *Pila marina.* See-Ballen.

188. *Pimpinella alba.*

§. 198. *Pimpinella saxifraga.* Indigena. — *Radix.* Weisse Pimpinell-Wurzel.
Praeparata. Essentia.

189. *Pinus Larix.*

§. 199. *Pinus Larix.* In Helvetiae et Italiae alpibus habitat. — *Agaricus.* Lerchenschwamm. — *Terebinthina.* Terpenthin.

Praeparata. Oleum seu Spiritus Terebinthinae. — Terebinthina cocta.

Agaricus purgans drasticum est, quod tamen in *sudoribus colliquativis* conducit, quando necessaria eum cautione datur.

190. *Piper nigrum.*

§. 200. *Piper nigrum.* Asiae incola. — *Semina immatura Piper nigrum dictum.* Pfeffer-Körner. — *Piper album*, quod ex *seminibus maturis, cuticula externe nudatis* constat. Weisser Pfeffer.

PIX BVRGVNDICA. vid. N. 1.

191. *Pix Liquida.*

§. 201. *Pinus sylvestris et Picea.* Europae Arbor. — *Pix liquida.* Schifftheer.

Piderit Pharmacia,

D

192.

192. *Plumbum.*

§. 202. *Plumbum nativum.* In Germania passim reperitur. — *Cerussa in laminis.* Schieferweis. — *Lithargyrium argenti.* Silberglätte. — *Minium.* Minie.

Pharmacopoei nostri *Cerussam* ex Batavia accipiunt; observandum autem ne *Creta* aut *Bolo* adulterata sit, quo casu cum *acidis* effervescit.

Datur etiam *Lithargyrium Auri*, Goldglätte, quod coloris est paulo rubicundioris, quae differentia vero nullam attentionem meretur. Si solutio *Lithargyrii* in *Alkali volatili*, *coeruleum* colorem acquirit, indicat, id *Cupri partibus* mixtum esse, a quibus tunc, antequam adhibetur, depurandum est.

Præparata. Acetum Saturni. — Aqua saturnina, vulgo vegeto mineralis Goulardi. — Ceratum Saturni. — Emplastrum commune. — Extractum Saturni. — Sal sive Saccharum Saturni. — Unguentum album. — Nutritum.

Cerussa tanquam *exsicicans* et *repellens*, ad diversa *Emplastra* et *Unguenta exsiccantia*, sumitur. Male *excoriationes nupernatorum* ea exsicantur; pessime etiam mulieres ea, tanquam *cosmetico*, utuntur; praeter maxima damna, quae continuatus eius usus sanitati infert, *faciem denigrat et corrugat*.

193. *Polygala amara.*

§. 203. *Polygala amara.* In locis montosis crescit. — *Radix.* Bittere Creutz-Blume.

194. *Polypodium.*

§. 204. *Polypodium vulgare.* Planta haec parasitica, per omnem Europam crescit; copiose autem ex Hercynia et Franconia venit. — *Radix.* Engelfus.

Diuturna coctione, amara reddit *Decocta*.

195. *Populus balsamifera.*

§. 205. *Populus balsamifera.* Arbor Americae septentrionalis et Sibiriae, quae vero nunc etiam in Europa colitur. — *Turiones.* Balsam-Pappel.

196. *Prunus.*

§. 206. *Prunus domestica.* Europae arbor. —
Fructus. Zwetschken.

Praeparata. Pulpa.

197. *Pulegium.*

§. 207. *Mentha Pulegium.* Hortensis. — *Herba.*
Polei-Kraut.

Praeparata. Aqua destillata.

198. *Pulsatilla nigricans.*

† §. 208. *Anemone pratensis.* In Europae collibus
et aridis locis crescit. — *Flores.* — *Herba.* Schwarze
Küchenschelle.

Praeparata. Extractum.

199. *Pyrethrum.*

§. 209. *Anthemis Pyrethrum.* Europae meridio-
nalis et Africae incola. In Thuringia et ad Magde-
burgum colitur. — *Radix.* Bertram-Wurzel.

200. *Quassia.*

§. 210. *Quassia amara.* Arbor Americana. —
Lignum radicis. Quassia. Americanisches Bitter-Holz.

Praeparata. Extractum.

201. *Quercus.*

§. 211. *Quercus robur.* Arbor vulgaris. — *Cor-*
tex. Eichenrinde. — *Folia.* Eichen-Blätter.

202. *Raphanus rusticus.*

§. 212. *Cochlearia Armoracia.* Hortensis. —
Radix. Meerrettig.

RESINA ABIETIS. vid. N. 1.

203. *Resina Benzoe.*

§. 213. *Styrax Benzoin.* Arbor Indiae. — *Re-*
sina. Benzoë.

Praeparata. Flores.

RESINA ELASTICA. vid. N. 54.

204. *Resina Elemi.*

§. 214. *Amyris Elemifera.* Arbor americana. — *Resina.* Elemi.

205. *Resina Galbani.*

§. 215. *Bubon Galbanum.* Africae incola. — *Resina.* Galbanum. Mutterharz.

206. *Resina Laccae.*

§. 216. *Croton Lacciferum.* Indiae orientalis incola. — *Resina Laccae in granulis.* — *in tabulis.* Stocklack.

207. *Resina Mastiches.*

§. 217. *Pistacia Lentiscus.* Habitat in Europa meridionali, Archipelago et Syria. — *Resina.* Mastix.

208. *Rhabarbarum seu Rheum.*

§. 218. *Rheum palmatum.* Planta Chinensis, Sibirica et e Russia ad nos venit. — *Radix.* Rhabarber.

In dubio adhuc est, numne *Rheum verum* ex *Rheo palmato*, an ex *Rheo Rhabarbaro*, aut *Rheo compacto Linn.* veniat. Verosimile vero videtur, omnes dictas tres species largiri *radices*, quas accipimus.

Radix bonae notae sit densa et solida, tamen non lapidis instar firma; coloris lutei clari, et si frangitur, habeat lineas coloris rosei; facile sit pulveranda, et si masticata, tingat salivam colore roseo. In genere illud *Rheum*, quod ex Moscovia accipimus, praestantissimum est.

Praeparata. Extractum. — Tinctura aquosa. — Spirituosa vulgo dulcis dicta.

B. MODELIVS et SCHEELE fati clare docuerunt, *Rhei radicem selenicas partes* in magna portione continere. Ea, quae de his experimentis *illustr.* BERGIVS l. c. T. I. p. 335. et 36. affert, digna sunt, ut hic transferibamus. „*Clar.* „SCHEELE, ait enim, experimenta instituit cum materia illa „alba variegata, quae in variis frustis *Rhei chinensis* copiose „conspicitur. Hanc materiam ope cultelli separavit, quae „masticata, sentiebatur ut arena tenera, insipida. „Grosse „pul-

„pulverata et *Aquae calidae* immissa, specificè gravior erat
 „quam materia altera lutea, cum qua commixta fuerat; qua-
 „re etiam repetitis lotionibus a lutea facile separabatur.
 „1. Hanc materiam albam, puram, exsiccatam, in *Aqua pura*
 „decoxit, sed non solvebatur. 2. In *Spiritu Nivi* solveba-
 „tur absque effervescentia. 3. Huic solutioni instillavit
 „*Spiritu Vitrioli*, unde praecipitatum quoddam emerit,
 „quod verum erat *Gypsum*. 4. Materiam hanc destillavit
 „per Retortam, unde in recipiente obtinuit liquorem, *Spiri-*
 „*tui Tartari* similem, subtileosum; residuum in fundo Re-
 „tortae valde tumebat, et erat carbo niger, cum *acidis* non
 „effervescens. 5. Sed calcinatus igne valido in crucibulo,
 „albescibat et vera erat *Calx viva*, absque indicio *Salis al-*
 „*calini fixi*. Hinc constat haec materia ex *Terra calcarea,*
 „*acido saturato*, forte *vegetabili*; siquidem in igne penitus
 „destructum fuit, suspicatur *clar. SCHEELE*, hoc *acidum*
 „analogum *Acido Citri* esse, siquidem *Creta, Acido Citri* satu-
 „rata, e solutione sua praecipitetur, sub facie *Terrae confi-*
 „*milis*, paria phaenomena sub experimentis monstrantis.
 „*Clar. I. G. MODEL* (In tract. *Entdeckung des Seleniten in*
 „*der Rhabarber Petersb. 1774.*) hanc *Terram* etiam exami-
 „navit, illamque ut veram *Terram seleniticam* agnovit. E
 „*Rhei chinensis* Libris quatuor accepit *Terrae* huius Vncias
 „sex. Adducit, hanc *Terram* cum pulvere *carbonum calci-*
 „*natam, Sulphur* olere; cum *Sale Tartari* in *Aqua* digestam.
 „*Tartarum vitriolatum* dare, sed cum *Alcali minerali, Sal*
 „*mirabile Glauberi*. Ex his iudicat, illam *verum selenitem*
 „esse, ex *Acido Vitrioli* constantem. Quo annosius *Rheum,*
 „eo plus *Terrae* continet; e *Rhei* diu servati Vnciis tredecim
 „extraxit *Terrae* huius Vnciam unam. Sed in frusto *radicis*
 „*Rhei palmari*, Petropoli culti, per annum servato, ne hilum
 „quidem *Terrae* huius *seleniticae* obtinere potuit. *Clar.*
 „*SCHEELE*, ulterius inquirens in existentiam *Acidi Vitrio-*
 „*lici* in *Terra* supra dicta, illam cum *Sale Tartari* et pulve-
 „re *carbonum* calcinavit, sed nihil obtinuit *Hepatis Sulphu-*
 „*ris*; inde porro concludit, *Terram Rhabarbari* non esse
 „*Gypsum*, verum *Terram calcaream acido vegetabili saturatam,*
 „*Selenitae tartareo non absimilem.*”

209. *Ribes nigrum.*

§. 219. *Ribes nigrum.* Hortense. — *Baccae.* —
Folia tenerima. — *Stipites.* Schwarze Iohannis-
 Beeren.

210. *Ribes rubrum*.

§. 220 *Ribes rubrum*. Hortense. — *Baccae recentes*. Rothe Iohannis - Beeren.

Praeparata. Gelatina. — Succus. — Syrupus.

211. *Rosa pallida et rubra*.

§. 221. *Rosa centifolia et damascena*. In hortis colitur. — *Flores rosarum rubrarum inaperti*. — *Petala florum pallidarum*. Rothe und damascener Rosen.

Rosa rubra vel centifolia praecipue pro *Conserva* infervit, ex altera vero ut plurimum *Aqua* et *Mucharum* parantur.

Praeparata. *Aqua destillata*. — *Conserva*. — *Mucharum*.

212. *Rosmarinus*.

§. 222. *Rosmarinus officinalis*. Hortensis frutex, Europae scilicet incola. — *Herba*. — *Flores* κατ' ἔξοχὴν *Anthos* dicti. Rosmarin.

213. *Rubia tinctorum*.

§. 223. *Rubia tinctorum*. In agris colitur. — *Radix*. Färberröthe.

Maximum est *resolvens*; eximium usum habet in *rhabditide* et *menstruum fluorem* promovet. Interne data tam *urinam*, quam *lac mammarum* rubro colore tingit. *Radix* Libra dimidia, unica vice *Vaccas* per XXIV horas ieiunae propinata, post XII horas lac non vertit, post alias autem XII horas, illud colore saturate rubro inficit. Pari modo *ossa animalium* tingit, non vero *carnes*; nec *tendines*, neque etiam *cartilagineas*. *Ossa Rubia tinctorum*, magis quam alia fragilia sunt. Animalia fere cuncta, a sumta *Rubiae* largiori dosi contabuerunt. Vid. *illustr. BERGIVM l. c. T. I. p. 67. et 68.*

Vim Rubiae tinctorum emmenagogam, B. CVLLEN negat, HVME autem tam confidenter eam confirmat, ut diebus XII ea usa, *mensis fluere* statuatur.

214. *Rubus idaeus*.

§. 224. *Rubus idaeus*. Ubique crescit. — *Fructus recentes*. Himbeeren.

Praeparata. *Aqua destillata*. — Succus. — Syrupus.

215. *Ruta*.

§. 225. *Ruta graveolens*. Hortensis. — *Herba*.
Raute.

Praeparata. Acetum. — Oleum destillatum.

216. *Sabina*.

§. 226. *Juniperus Sabina*. Hortensis. In Siciliae
arenosis spontanea. — *Folia*. Sade- oder Seven-Baum.

Praeparata. Oleum destillatum.

217. *Saccharum*.

§. 227. *Arundo Saccharifera*. In India utraque.
Sal essentielle arundinis Sacchariferae. — *Saccharum al-*
bum raffinatum, canariense dictum. Weißer Raffinat. —
Saccharum candum flavum. Gelber Kandel-Zucker.

Praeparata. Syrupus communis seu Saccharum
clarificatum.

218. *Sago*.

§. 228. *Cycas circinalis*. Palma orientalis. —
Medulla in scobem reducta. Sagu.

Grana Sago etiam ex aliis *Paluis*, et non ex sola *Cycade*
circinali acquiruntur.

219. *Sal Ammoniacum*.

§. 229. *Sal Ammoniacum*. Ex Aegypto ad nos
adducitur, paratur vero etiam in Germania, Gallia,
Anglia. — *Sal Ammoniacum*. Salmiac.

Eligatur candidum et purum, quod addito *Sale alca-*
lino statim odorem *Salis volatilis* spargit. *Sal Ammonia-*
cum, quod hic *Cassellis* a *Pharmacoposo* supra iam lauda-
to, FIEDLERO *nostro* paratur, nulla depuratione indiget,
et *aegyptiaco* multo candidius est.

Praeparata. Spiritus Salis Ammoniaci aquosus. —
volatilis vinosus, — volatilis urinosus.

Sal nostrum praestantissimum, in multis morbis utile
Medicamen praebet: *humores viscidos, crassos et tenaces* inci-
dit, *obstructiones* solvit, *varias excretiones*, praesertim eas,
per *sudorem et urinam*, et in maiori dosi, *alvinam* promo-
vet; *fibras languidas* stimulat, roborat, *status pellit, purri lo-*

uti inter alios *immortalis* PRINGLE experimentis clare docuit, resistit, et in ipsa *gangraenosa* et *sphacelosa diatresi* conducit. Valet itaque in *cruditatibus primarum viarum*, et uti iam MVYS in *peculiari Dissert.* probavit, et WOLFIUS; LOESECKE et alii confirmaverunt, non solum ad omne *februm intermittentium* genus, sed praecipue etiam in *febris mesentericis*, *obstructione glandularum mesaraicarum*, *typhitide*, *febris putridis*, potissimum in earum *diarrhoeis symptomatidis*, et ad *hypochondriacorum* atque *haemorrhoidariorum mala*, praesertim *infimi ventris inflationes* mitigandas et auferendas. Quoniam etiam *menstruorum fluxorem*, si a *fibra languida* et *copiosa pituita* retinetur, satis certe promovet, quoque etiam ad *horum ataxiam*, uti in genere in *femini chloroticis* valde prodest. Si *gangraena* metuatur; vel haec etiam aut ipse *sphacelus* praesto sit, utiliter cum *Cortice peruviano* iungitur, et *Corticis* celebrata *vis antifebrilis* maxime ex eius connubio augetur. Ordinaria dosi Grana duodecim usque ad Serupulum sunt; sed in morbis pertinacioribus, uti sunt quaedam ex *febris intermittens* species, vel ubi periculum in mora versatur, e. g. in *gangraenae* et *sphaceli* metu, maior indicatur portio, et tunc omni trihorio ad dimidiam Drachmam, imo ulteriori dosi exhibendum est. In *mensium ataxia*, et ubi *valentius roborans* indicatur, consulto ad mentem BOERHAAVII *Limaturae Marris* et *Salis nostri* pondera aequalia praescribuntur. Ad *viscerum obstructions* referandas, et in *febris mesentericis* uti et *biliosis*, *Sali Ammoniaci* alia *digestiva* e. g. *Cremor Tartari*, *Tartarus tartarizatus* adduntur. In *malignarum* et *putridarum februm debilitate* insigni, recte additis aliquot *Camphorae* Granis, eius *vis antiseptica* augetur, et simul tali ratione eo celerius saepe succumbentis fere naturae vires eriguntur. Saepè in *febris intermittens* et *gangraena*, tanta *Sal* hoc praestat, quanta a solo *Cortice* non expectanda, hincque non satis eius frequens, tamen quoque prudens usus suadendus est.

Non minor est *externa eius vis*, ubi *sanguinem stagnantem* in *sugillatis* et *contusis* resolvit, a *putredine* servat, in *luxationibus* et *fracturis* *fibras* simul roborat, et a *gangraena* et *sphacelo* praemunit. Solvitur eo ex scopo *Vncia* una, vel *Vini generosi*, vel *Oxycrati* *Libra* una, et ad partes affectas tepide fovendas tali modo adhibetur. In pauperibus, ubi *Cortex*, ob maius pretium, in *fomentationibus* non semper adhiberi potest, praesertim tales ex *Sale Ammoniaci* valent; uti in genere consulto etiam eis ex *Cortice*, *Salis* huius aliqua portio additur. *Liquor*, quem magnus BOERHAAVIUS con-

contra gangraenam habuit, maximam meretur laudem et sequenti modo paratur:

Recipe, *Aceti Rutae,*
Vini generosi,
Infusi Herbae Scordii ana Libram unam.

In his solve

Salis Ammoniaci Vncias duas.

Caeterum quoque etiam *Sal* hoc, ubi tantum *sanguis stagnans* resolvendus, vel *inflammationi* resistendum est, ad mentem experientissimi, venerandi B. SCHMUCKERI, cum *Nitro* combinatur; uti *Fomentatio* eius sic dicta *frigida* docet, cuius descriptio haec est.

Recipe, *Salis Ammoniaci,*
Nitri depurati ana Libram unam.
Aquae communis Mensuras viginti quatuor.
Aceti Vini Mensuras sex.

Praeter usum, quem *Fomentatio* haec in *inflammatis partibus* externis praestat, etiam abrasis primo capillis, consulto frigide caput ea fomentatur in *phrenitide*, *apoplexia sanguinea*, *affectibus maniacis* et omni *sanguinis intra cranium accumulatione*, unde etiam in *capitis laesionibus* et post *chirurgicam capitis terebrationem*, quam *Trepnationem* vocant, valet. In *capitis doloribus* ab *orgasmo sanguinis ortis*, lintea hac *fomentatione* imbuta, fronti et temporibus applicantur multo cum iuvamine, et in *oculorum ophthalmiis sanguineis* etiam adhiberi ea potest. Insuper teste PLENCKIO ad *hernias incarceratas* maxime *fomentatio* nostra valet. (*) Ad *varices pedum in gravidis*, lintea cum solutione Drachmarum sex *Salis Ammoniaci* in *Aquae* Libra, imbuta, cum fascia applicata, maximi effectus invenit illustr. FISCHERVS. Vid. illustr. RICHTERI *Chir. Biblioth.* 6. B. *Sal Ammoniacum* tandem, quoque ad *ulcera sordida* purganda, inspergi potest, et ad mentem B. PRINGLE *Vnguentis sulphureis*, quae contra *scabiem* valent, additur. Pari modo in *Aqua* solutum in *hoc cutis morbo* prodest.

220. *Sal anglicum Epsoniense.*

§. 230. *Natrum fontanum.* Superiori seculo ex fonte *Epsoniensi* obtinuumus. Hodie ex variis fontibus *soteriis*, nec non ex *aqua marina*, *Sal* inde commune

D 5

ex-

(*) Non ubique in herniis incarceratis *fomentationes frigidae* profunt; ubi *spasmi gradus ingens* adest, et quando non brevi tempore *hernia* post applicata *tacta frigida* retrocedit, ab his desistendum.

excoquendo, solet parari. (*) Plerumque etiam illud, quod ad nos venit, factitium est, quia in Anglia usus eius tantus est, ut fontes illud non omne largiri possint. — *Sal catharticum anglicum.* Englisches Bitter-Salz.

Eligitur album, siccum, purum, in *Aqua* facillime solubile.

Praeparata. Magnesia alba.

221. *Sal culinare.*

§. 231. *Muria fontana.* Ex fontibus falsis passim per Europam existentibus acquiritur. — *Sal culinare.* Gemeines Koch-Salz.

Praeparata. Acidum Salis vulgo Spiritus Salis acidus. — Spiritus Salis dulcis.

222. *Salab.*

§. 232. *Orchis Morio.* In Oriente et Persia crescit. — *Radix.* Salab.

Ex Vncia dimidia *radicis Salab,* cum *Aquae fervidae* Libris duabus, trituro fiat *Mucilago.*

223. *Salicaria.*

§. 233. *Lythrum Salicaria.* Ad ripas et in locis paludosis crescit. — *Herba.* Rother oder brauner Weiderich.

224. *Salvia.*

§. 234. *Salvia officinalis.* Hortensis. Europae calidae indigena. — *Herba.* Salbei.

Decoctum saturatum in sudoribus colligativis semper, et interdum in *gutta rosacea,* quando per longum temporis spatium continuatum fuit, utilissimum invenimus.

225. *Sambucus.*

§. 235. *Sambucus nigra.* Vbique sponte crescit. — *Alburnum.* — *Baccae.* — *Flores.* — *Turiones.* Hollunder.

Praeparata. Aqua destillata. — Roob.

226.

(*) prope urbem Lemmington, quae ad comitatam Southampton pertinet, magna huius Salis quantitas ex residuo Lixivio a Salis marini depuratione paratur.

226. *Sanguis Draconis.*

§. 236. *Pterocarpus Draco.* Indiae incola. —
Resina. Drachenblut.

Sanguis Draconis, qui ex *Pterocarpo Dracone*, seu etiam
Dracaena Dracone acquiritur, ad nos non venit, sed ille,
quem accipimus, ex *Calamo Rotang* provenit.

227. *Sapo alicantinus albus.*

§. 237. *Sapo alicantinus albus.* Weisse spanische
Seife.

Praeparata. Balsamum. — Corpus pro Balsamo.
— Emplastrum.

228. *Sapo niger.*

§. 238. *Paratur ex Ceti pinguedine et cimeribus
clavellatis.* — *Sapo niger.* Schwarze Seife.

229. *Saponaria.*

§. 239. *Saponaria officinalis.* Ubique crescit. —
Herba. — *Radix.* Seifen-Kraut.

Albedine a *radice Lychnidis dioicae* distinguitur, quae
rubicunda est.

Quoniam ea, quae *illustr. BERGIVS l. c. p. 371.* de *Sa-*
ponaria profert, efficaciam huius plantae valde testantur,
consultum putavimus, ut nostra faciamus. „*Decoctum*, ait
enim, *herbae siccatæ* amaricans, non bene spumescens, *re-*
centis vero, scilicet e caulibus et foliis concisis, satis bene
spumescens. Experimentum cum *Decocto Saponariae* institui,
lintea eodem, loco Saponis lavando et dealbando, quod qui-
dem bene successit; namque solvit et detergit hoc lavaerum
forditiem pinguem, uti lintea insudata, maculas oleosas,
butyraceas, seu ex animali pinguedine ortas, vascula insuper,
Oleo expresso seu stillatio contaminata, brevi hoc *Decocto*
mundavi. At colores non delet, quare nec lintea, maculis
pulicum conspurcata, bene cum *Saponaria* dealbantur. Ex
dictis patet, *radicem Saponariae* verum esse saponem, quod in
primis evincitur ex *Decocto spumescente*, et facultate deter-
gente maculas pingues. Sed *Sapo* hic *vegetabilis* est ab *arti-*
ficiali longe diversus; etenim *alkalinus* non est, verum *aci-*
dus. *Acidis* non destruitur, uti *Sapones alcalini*, et serico
eundem crepitum imponit *Saponaria*, si in eius *Decocto* co-
quitur, ac omnia *acida* praestant. Ex hac facultate *sapona-*
rea virtus medica *radicis* elucet; hinc *radix Saponariae* praes-
tan-

stantissimum diluens in ptisanis, hinc in arthritide, cura mercuriali etc. nullum aptiorem potum novi.”

230. *Sassafras.*

§. 240. *Laurus Sassafras.* Americae Arbor. — *Cortex.* — *Lignum radicis.* Sassafras. — *Praeparata.* Oleum destillatum.

231. *Scammonium.*

§. 241. *Convolvulus Scammonea.* In Aegypto, Syria et Palaestina crescit. — *Gummi Resina.* Purgierwindenharz.

Saepe variis succis plantarum analogarum, *Asclepiadis syriacae, Euphorbiae* aliarumque, imo *Amylo, arena, cinere* aliisque rebus mixtum est. *Scammonium* sincerum est leve, si frangitur splendens, et digitis facile friabile. Digito humido contactum, colorem ostendit flavum, et in *Aqua* solutum, viridescentem, et pauxillum tantum hoc est, quod se ad fundum praecipitat. Sapor eius in principio non notabilis est, postea vero aliquomodo acris et amaricans. Odor est nauseosus. Insuper *Aleppense* magis griseum et optimum est; *Smyrnaeum* vilius, et *Antiochenum* quod nigerrimum est, vilissimum.

Ad *drastica purgantia* pertinet, quod brevi tempore humores nostros in putrilaginem resolvit, hinc deiectiones foetidissimas excitat.

232. *Scordium.*

§. 242. *Teucrium Scordium.* In locis paludosis crescit. — *Herba.* Lachenknoblauch.

233. *Sedum minus.*

§. 243. *Sedum acre.* In montibus et tectis crescit. — *Herba recens.* Mauer-Pfeffer.

234. *Semen Sabadillae.*

§. 244. *Sabadilla.* Ex Mexico venit. — *Semen.* Mexicanischer Laufe-Samen.

Veratri affinem esse, verosimile est.

Qua-

Qualitatis est summe acris et causticae, *viribusque draſticis* pollet. Quamquam *clar. Viri GLASERVS, SCHMUCKERVS, THEDENIVS, MARCVS HERZ* alique, nostro tempore, *virtutem eius ant helminthicam* atque *antispasmodicam* valde laudant, variisque observationibus encomia corroborare nituntur, tamen consultum putamus, securiora remedia, quorum in morbis talis generis non est penuria, huic *infido draſtico*, imo *toxico* praeferrenda esse.

235. *Senna.*

§. 245. *Cassia Senna.* In Syria, Aegypto et Graecia crescit. — *Folia.* Sennes-Blätter.

Sennae folia optima sunt ea, quae ex Aegypto superiori per Alexandriam veniunt. Haec sunt ovata, superius acuminata, flavescentia viridia, et odorem habent peculiarem, non autem nauseosum, saporem vero amarum, nauseosum et aliquomodo acrem. Ea, quae ex Tripoli veniunt et prioribus succedunt, sunt maiora, plane viridia, superius obtusa et aspera. Quae ex Italia et Gallia ad nos veniunt, vel in Germania crescut, sunt lata, obtusa, pulchre viridia et magnis nervis praedita; saporem habent subdulcem et limosum. Haec praecedentibus virtute sunt longe debiliora, et praeterea saepe eum *Colutea arboreſcente* adulterata, quae vero facile *foliis cordiformibus* dignoscuntur.

Errorem popularem et antiquum esse, quod *stipites Sennae tormina* faciant, inter alios pulchre docet *illustr. BERGIVS l. c. p. 339.* „Ego, ait, huius rei penitus cognoscendae causa, plusquam quadragesies praescripti *formulam sennatam*, ut *soli stipites loco foliorum* sumerentur. Sic *stipitum* sesquiuncia erat in *Infusi colatura* Libra una. Sed aequè bene egit hoc *Infusum* atque alterum (ex *foliis*;) aequè fere efficax *purgans* fuit, imo aequè securum.” Caeterum *folia Sennae* per diurnam coctionem *virtute* privantur *laxativa*.

236. *Serpentaria Virginiana.*

§. 246. *Aristolochia Serpentaria.* Ex America septentrionali venit, — *Radix.* Virginianische Schlangen-Wurzel.

237.

237. *Serpillum*.

§. 247. *Thymus Serpillum*. Planta indigena. —
Herba. Quendel.

Praeparata. Spiritus.

SEVVM CERVINVM. vid. N. 71.

238. *Sevum Vervecinum* vulgo
Hircinum.

§. 248. *Vervex*. Vbique invenitur. — *Sevum*.
Hammels-Fett.

239. *Simaruba*.

§. 249. *Quassia Simaruba*. Arbor Americana. —
Cortex. Simaruba.

Quando B. KLEINIVS in *Select. rat. med.* p. 46. ingenue professus est, plus una vice, se plus profecisse *Corrice peruviano* in *alvi fluxibus*, quam *Simarubae*, nos e contrario in *lienteria*, *haemorrhoidibus* nimis, a *debilitate viscerum* ortis, et *diarrhoeis mucosis*, praemisissis quae ante *roborantium* usum praemittenda sunt, incassum dato *Corrice peruviano*, omne auxilium ex *Simarubae* saepe vidimus. Quia non minus laudanda est eius vis *resolvens*, quam *virrus*, quam in *roborandis partibus debilitatis* exserit, non *obstructionibus viscerum* tam facile ansam praebet, quam alia *roborantia*, si etiam praecocius, quam par est, aegris propinatur. In delicatulis tamen, praesertim quando *Decoctum* nimis saturatum est, *ventriculum* et *intestina* irritat, hincque *vomitum*, *copiosiores deiectiones*, imo *sudores* valde incommodos excitare solet. In *Decocto semivinoso* tam interne dato, quam etiam in *uterum* iniecto, laudatur contra *fluorem album* ab *illust. DVNCAN*. Minime vero nostro ex arbitrio *Iniectioni* tali *Saccharum Saturni* adiciendum est.

240. *Sinapi*.

§. 250. *Sinapis nigra*. Hortensis. — Semen. Senf.

241. *Soda Hispanica*.

§. 251. *Soda* ex plurimis *plantis marinis* parari potest, sed optima habetur e *Salsolis* et speciatim e *Salsola Kali*, quoniam haec planta verum *alkali minerale* semper praebet, etiam, ubi locis a mari remotis confertur, modo id in climate calido fiat, ut expertus est
clar.

clar. ABBAS MAZÉAS. Tametsi non diffitendum, ut *cel. DVHAMEI* etiam observat, cum *alkali vegetabili* commixtum iri, si nimis longe a mari feratur. — *Soda Hispanica*. Spanische Sode.

Ea *Soda*, quae ex aliis *plantis marinis* conficitur, vix semper punctum fert. *Aegyptii* tamen satis bonam parant e *Mesembryanthemo nodifloro* et *Reaumuria vermiculata*; *Angli* vero suam *Sodam* sub nomine *Kelp* notam, e *Fuco ceranoide* aliisque *Fuci speciebus vesiculosis* acquirunt. Praestantissima *Soda* censetur *alicantina*, quae e *Salsola sativa* conficitur; haec ex coeruleo cinerea est, sicca et tinniens, in et extrinsecus spongiae instar porosa. Hanc excipit ea ex *Carthagena*. *Soda* vero *bourdina* mala est; massa est nigra, maculis viridibus variegata, humida, odore foetido. *Vilissima* tandem *Soda* est, quae *Varet* dicitur, et in *Normandia* ex omnibus *plantis marinis* indiferece sumtis, praecipue *Fucis* paratur.

242. *Sperma ceti.*

§. 252. *Physeter Macrocephalus*. In mari Grönländico degit. — *Materia ex cerebro dicti piscis excolla et ope Lixivii alcalini depurata, incongrue Sperma ceti dicta*. Wallrath.

Praeparata. Emplastrum.

243. *Spigelia.*

§. 253. *Spigelia anthelmia*. In Brasilia crescit. — *Herba*. — *Radix*. Americanisches Wurmkraut.

Illustr. BERGIVS *Spigeliā marilandicā* efficaciorē pronuntiat. *Planta narcotica* est. De virtute eius *anthelmintica* vid. B. LINNAEI *Amoen. acad. Vol. V. T. 2.* Vbi hoc scientiae nostrae sidus confitetur, se nunquam virtutis expertem eam deprehendisse, modo si spes salutis affulserat; imo, multum exinde hausisse utilitatis, ubi iam de salute pertimescere coeperat. Inprimis, ubi *febres ac convulsiones* comites se *vermibus* adiunxerunt, valet. Summa tamen circumspectione adhibenda est, cavendumque, ne corpus detrimenti quid capiat; siquidem nimia dosis, *vertiginem* excitat cum *spasmis* supra, infra et intra ipsos oculos. Ea vero sympto-

symptomata vel sponte evanescent, vel aromatibus et spiritibus removentur.

244. *Spongia.*

§. 254. *Spongia officinalis.* In mari mediterraneo et rubro invenitur. — *Spongia.*

Praestantissima est ea foraminibus exiguis pervia.

Praeparata. *Spongia cerata.* — *usta.*

245. *Squilla.*

§. 255. *Scilla marina.* In Europa calida et orientali crescit, praesertim ex Hispania et Gallia ad nos venit. — *Radix.* Meer-Zwiebel.

Praeparata. *Acetum.* — *Oxymel.* — *Pilulae.* — *Pulvis.*

246. *Stannum anglicanum.*

§. 256. *Stannum crystallinum.* In Anglia reperitur. — *Stannum anglicanum.* Englisches Zinn.

Videatur, ne *Plumbo* inquinatum sit.

247. *Styrax calamita.*

§. 257. *Styrax officinale.* Arbor orientalis. — *Resina.* Storax.

248. *Succinum.*

§. 258. *Succinum electricum.* Ad littora maris Balthici reperitur. — *Succinum.* Bernstein.

Characteres quibus dignoscitur *Succinum verum* sunt, quod igni impositum fumet, fluat, ardeat, quod ita tractatum odorem *Succino* specificum spargat, quod neque ab *Aqua* sola, neque *Alkohole* solo, neque facile ab alio quocunque menstruo, si *acidum Vitrioli concentratum* excipias, perfecte solvatur, et quod *electricitate* sive *vi attractiva* gaudeat et emineat, quibus notis etiam a factitio illo et spurio *Americano*, *Gummi de Look* alias vocato, quod vero etiam in destillatione *Sal volatile* non exhibet, discerni potest.

Praeparata. *Oleum.* — *Sal volatile.*

249.

249. *Sulphur citrinum.*

§. 259. *Pyrites nativus.* Crescit passim per Europam. — *Sulphur citrinum* seu *vivum.* Schwefel.

Praeparata. Flores. — Hepar sulphuris martiale.

250. *Tamarindi.*

§. 260. *Tamarindus Indica.* Arbor Indiae orientalis, Aegypti et Arabiae. — Hodie in America frequenter colitur. — *Fructus.* Tamarinden.

Praestant, si *legumina Tamarindorum integra* e solo natali haberi possemus; etenim, ut observat *clar. BEAUME,* *Fructus* in India contusus, et ab exteris ad nos allatus, saepe scatet *Viridi aeris,* quod ab ipso praeparationis modo in solo natali dependet, qui communiter in *vasis cupreis* peragitur. *Cuprum* ab *acido Tamarindorum* solvi necesse est, praecipue quia mos illis est, *fructus contusos* in *ahenis cupreis* addita *Aqua* macerare, donec in speciem pastae redigantur. Vid. *illustr. BERGIVM l. c. p. 35.* Detegitur, an *Tamarindi Cupri partibus* inquinati sint, quando *solutioni fervidae bacillus ferreus,* seu *calter* per dimidiae horae spatium immittatur, qui tunc frigidus *colorem cupreum* acquirit.

Praeparata. Pulpa.

251. *Tanacetum.*

§. 261. *Tanacetum vulgare.* Ubique crescit. — *Herba.* — *Flores.* Reinfarn.

Praeparata. Oleum destillatum.

252. *Taraxacum.*

§. 262. *Leontodon Taraxacum.* Planta frequentissima. — *Herba recens.* — *Radix.* Löwenzahn.

Praeparata. Extractum.

253. *Tartarus.*

§. 263. *Tartarus Vini.* In doliis vini reperitur. — *Tartarus.* Weinstein.

Praeparata. Cremor seu Crystalli. — Cremor solubilis. — Liquor Terrae foliatae Tartari. — Sal. —

Piderit Pharmacia,

E

Sal

Sal acidum essenziale. — Tartarus solubilis. — tartari
satus. — vitriolatus. — Terra foliata Tartari.

TEREBINTHINA. vid. N. 189.

254. *Thymus*.

§. 264. *Thymus vulgaris*. Planta indigena. —
Herba. Thymian.

255. *Tormentilla*.

§. 265. *Tormentilla erecta*. Planta indigena. —
Radix. Tormentillwurzel.

256. *Trifolium fibrinum*.

§. 266. *Menyanthes trifoliata*. Indigena. — *Her-*
ba. Bitter- oder Biberklee.

Praeparata. Extractum.

257. *Triticum*.

§. 267. *Triticum hybernum*. Cereale annum. —
Amylum. Kraftmehl.

258. *Valeriana sylvestris*.

§. 268. *Valeriana officinalis*. In montibus et pratis
humidulis. — *Radix*. Baldrian.

Vernali tempore radix colligenda est. Quae in col-
libus saxosis, montibus et sylvis ficcioribus crescit, effi-
cacior est ea, quae in pratis humidis, aut circa paludes et
fossas invenitur. *Valeriana dioica* cum qua saepe adulte-
ratur, minores habet fibrillulas, et debiliorem odorem.

Praeparata. Extractum. — Tinctura.

259. *Vanilla*.

§. 269. *Epidendron Vanilla*. Americae incola. —
Siliquae. Vanille.

260. *Verbascum*.

§. 270. *Verbascum Thapsus*. Indigena. — *Her-*
ba. — *Flores*. Wollkraut.

261. *Veronica*.

§. 271. *Veronica officinalis*. Planta indigena. —
Herba, Ehrenpreis.

Omni-

Omnino I. FRANCUS in tract. *Veronica Theizans* inscripto, magis, quam par est, *Veronicae* vires extollit, quam *benedictam herbarum reginam* vocat. De *Infusi Veronicae* efficacia *herbae Theae* praefereudo, disseruit F. HOFFMANNVS *Halae*. 1694.

262. *Vincetoxicum*.

§. 272. *Asclepias Vincetoxicum*. Indigena. — *Radix*. Schwalbenwurzel.

263. *Virga aurea*.

§. 273. *Solidago Virga aurea*. Indigena. — *Herba*. Heidnisch Wundkraut.

Non cum *Senecione saracenic* confundatur.

264. *Vitis*.

§. 274. *Vitis vinifera*. In omni Europa colitur. — *Acetum*. Essig. — *Spiritus Vini*. Weingeist. — *Vina varia*. Wein.

Praeparata. *Acetum concentratum*. — *destillatum*. — *Oxymel simplex*. — *Spiritus vini rectificatus*. — *rectificatissimus*.

Aceti bonitas ex aciditatis gradu diiudicatur, quae, si cum urenti acrimonia coniuncta est, *Capsico*, vel aliis noxiis rebus indicat, id esse adulteratum. Male etiam *Acidum Vitrioli concentratum* ei additur, quod ei insignem, praesertim dentibus noxiam acrimoniam conciliat. Detegitur haec adulteratio, quam, referente HVMELIO in tract. *de arthrit. tart. et scorb. p. 43*. Batavi, omni illi *Aceto* inferunt, quod in Indiam transmittunt, ut vigorem et limpidam claritatem conservet, *praecipitato* illo quod sequitur, quando tale *Acetum*, *solutioni Lapidum cancrorum cum Aceto saturatae*, instillamus.

265. *Vitriolum album*.

§. 275. *Vitriolum Zinci*. Ex officinis Goslariensibus accipimus. — *Vitriolum album*. Weisser Vitriol.

Praeter *Zincum* et *Plumbum Aes* quoque vehit.

Sit *Sacchari* instar album et non nimis durum.

266. *Vitriolum coeruleum.*

§. 276. *Vitriolum Cupri.* Passim in Europa paratur. — *Vitriolum coeruleum.* Blauer Kupfer-Vitriol. Eligendum *Sapphiri* instar coeruleum, crystallifatum.

267. *Vitriolum viride* seu *martis.*

§. 277. *Vitriolum Martis.* Ex Hungaria et Anglia, nec non Episcopatu Salisburgensi, ubi tam e *minera propria*, quam ex *pyrite calcinato* conficitur, advehitur. Datur etiam *nativum*, quod vero tantum in metallothesi asservatur. — *Vitriolum viride.* Eisen-Vitriol. Kupferwasser.

Sit herbacei coloris et crystallifatum.

Praeparata. Acidum concentratum, vulgo Oleum. — Acidum tenue, vulgo Spiritus acidus. — Elixir acidum Halleri. — Liquor anodynus. — Naphtha Vitrioli. — Sal Martis.

268. *Vrtica maior.*

§. 278. *Vrtica pilulifera*, Vbique crescit. — *Herba recens.* Brennnessel.

269. *Vva ursi.*

§. 279. *Arbutus Vva ursi.* Passim per Europam crescit. — *Folia.* Bäentraube.

270. *Zedoaria.*

§. 280. *Amomum scapo nudo, spica laxa truncata.* Indiae orientalis incola. — *Radix.* Zittwerwurzel.

Cum *illustr.* BERGIVS ipsam plantam possidet, mirum est, quod *Pharmacopoeae suecicae Editio altera emendata*, adhuc *Kaempferiam* retinuerit.

271. *Zincum.*

§. 281. *Zincum mineralifatum.* Passim in Germania reperitur. — *Zincum.* Zink.

Praeparata. Flores.

272. *Zingiber.*

§. 282. *Amomum Zingiber.* Planta asiatica. — *Radix.* — *Radix condita Bengalensis.* Ingwer. *Radix siccata recenti paulo fortior est.*

PARS ALTERA
MEDICAMENTA PRAEPARATA
ET COMPOSITA COMPLECIENS.

I. *Acetum Colchici.*

§. 283.

Recipe, *Radici Colchici recentis, succulentae et in tenues taleolas dissectae*, Vncias duas.

Aceti Vini boni Libram unam.

Macera leni calore, in *lagena vitrea*, per quatuor dies, saepius lagenam agitando, et postea cola cum expressione.

Acetum Vini destillatum, de quo infra agitur, purius quidem et volatilius est *communi*, ab hoc vero maiori aciditatis gradu superatur: dum destillatur enim, in empyreumate, quod remanet, maximam deponit, quam antea habebat, aciditatem. Hinc, ad *Aceta infusa*, recte *Acetum commune*, si bonum sit, *destillato* praefertur: quia aliae, vires eius augendi, seu id, ut aiunt, concentrandi methodi pretiosiores sunt, quam, ut ad haec paranda adhiberi queant.

Caeterum, ut, a fecibus et mucore, *Aceta* haec *infusa* eo certius defendantur, addatur eis *Spiritus tenuioris Vini* duodecima pars; *Colchici Acetum* vero quovis anno paratur: quia, ultra anni tempus, vires non durant.

§. 284. Circa *vires medicas* huius remedii adhuc disputant eruditi. Alii, in *affectibus* inprimis *hydropicis*, ad coelum usque id attollunt; alii nullum eius se sensisse testantur effectum. Nos *Oxymel* inde paratum incassum adhibuimus, et *illustr.* BERGIUS *Mat. med.* T. I. p. 291. „dedimus, inquit, frequenter *aegrotis hydropicis* ex hoc *Oxymelle* e *radicibus Colchici* ab exteris apportatis, sed *Squilla* longe inferius illud

illud deprehendimus." *Illustr.* FRANKIVS e contrario, aliquot *Observationes* nobiscum communicavit, quae eius *salutiferum* et *diureticum effectum* confirmant, quem in *hydropicis* praestitit. Pari modo *clav.* EHRMANN in peculiari *Dissertatione de Colchico*, quae in *perillustr. nostri* BALDINGERI *Sylog. Diff. Vol. V.* reperitur, ea, quae *Viennenses* de hac planta laudant, propriis observationibus corroborat. Diversitas soli natalis et climatis forte hunc dissensum parit: cum B. HALLERVS et KRATOCHVILLIVS *radicem Colchici* sine ulla acredine, uti etiam in nostra regione est, invenerunt; alii vero, et inter eos *perillustr. L. B. a* STOERCK, acrem et urentem eius naturam testantur. Naturae insuper, quae in corpore cui imperat, proferre solet conamina, saepe ipsis medicamentis adscribuntur. Non miramini igitur, alterum omnino fugere, quod alter viderit.

Optime caeterum *Acetum* hoc cum *Aquis diureticis* miscetur, et idoneo *Syrupo* edulcoratur. Primo in portione minori, Drachma una datur, quae dosis temporis tractu, ita augetur, ut tandem usque ad integram Unciam, quin maiorem ascendamus. Vulgo praescribitur *Oxymel* ex eo paratum, illudque a Drachmis duabus usque ad sesquiunciam datum, perbelle miscetur *Aqua* quadam *destillata aromatica*. Vbi *diarrhoea* metuenda est, addatur *Opium*. Plura vid. in *laud. STOERCKII libell. de Colchico autum. et perillustr. COLLINI Observ. circa morb. acut. et chron.* qui magna de eius efficacia, in *pectoris hydropse* profert. In Tom. XXII. et XXIII. *illustr. ROVX Journal de medecine* leguntur observationes *Medicorum* MARGES et BERGE, quae efficaciam nostri medicamenti in *hydropicis* testantur.

ACETVM LITHARGYRII. vid. *Acetum Saturni*.

2. *Acetum Rutae.*

§. 285. Recipe, *Herbae Rutae hortensis* Libram unam.
Aceti Vini Libras sex.

Stent in digestionem, donec *Acetum* fuerit saturatum, idque cum expressione filtretur.

Circa *Aceta infusa* in genere notandum, quod quidem *Herbae* et *Flores* debeant esse recentes, sed tamen antea exsiccantur, quia alias *Aceta* mucescunt.

Facile sic dicta *Aceta completa* parari possunt, si *Moschum* nodulo impactum eis aliquo tempore immiserimus. Horum usum vero multi hominum abhorrent.

§. 286.

§. 286. Infervit proprie pro odramento vel epithemari-
 ribus ad pulsus et tempora, et tali modo hysteri-
 cis, pro excitandis lipothymicis, et eis, qui halitibus carbo-
 num expositi fuerunt, admodum proficuum est. Prodest
 etiam in capitis doloribus. Interne, coelo nubilofo ad praeca-
 vendum viribus epidemiae febrium malignarum, mane ad
 Cochlear unum alterumve datum, valet. Vapor huius Aceti,
 peculiari illa machina, quam B. noster KAEMPFIVS inve-
 nit et perillustr. ZIMMERMANNVS in incomparabilis nostri
 BALDINGERI Neuem Magazin für Aerzte 1. B. 1. St. de-
 scripsit, intestino recto applicatus et admotus, in affectibus
 synopticis, vires cito refocillat, et in febribus purridis eximie
 conducit. Acetum Rutae saturatum Camphorae nuptum et
 cum Sero lactis datum, in omnibus febribus malignis, ubi
 pulsus nutat, eximias praestat vires.

3. Acetum Saturni.

§. 287. Recipe, Cerussae in laminis, vel Minii triti, vel
 Lithargyrii (*) Libram dimidiam.
 Aceti Vini Libras duas.

Coque in vase figulino, et non cu-
 pro, uti aliqui volunt, leni calore
 per spatium horae unius, bacillo
 ligneo saepius agitando. Quod post
 massam in fiendo residentem cla-
 rissimum est, filtra et serva pro usu.

§. 288. Refrigerat, constringit, repellit, siccatur, et con-
 tra putredinem valet. Vfus externus ad ambusta, tollendam
 partium inflammationem, in ulceribus, fistulis, glandulis indu-
 ratis, ad coercendum scirrhum, ne in cancerum abeat, iam a
 BOERHAAVIO et HEISTERO viris summis, laudatus, post
 GOVLARDVM autem inprimis celebris est. Praecipua cau-
 tio in cutis morbis requiritur, ubi ad purgandam eam a ma-
 culis et ulcusculis, non sine sanitatis detrimento, saepe adhi-
 betur, et neutiquam itaque cum GOVLARDO in scabie et in
 omni erysipelate saturninorum usus suadendus est. In genere
 notandum, omnium saturninorum usum valde esse mode-
 randum: quia, uti iam BOERHAAVIVS agnovit, largior
 eorum applicatio, dirissima corporis mala, et praesertim af-
 fectus

E 4

(*) Praestat, prae Lithargyrio, quod non tam solubile est
 interdum Cupro inquinatum est, Cerussam in lami-
 nis, vel uti clar. SALCHOW vult, Minium, ad paran-
 dum nostrum Acetum recipere.

fectus phthificos excitat. In Elem. chym. T. II. p. 309. „Sex, Vir magnus ait, vel septem nobiles puellas huius fuci usu (quae saturnina cosmerico scopo adhibuerunt) mortuas novi.” Vid. clar. AIKIN Beobachtungen über den äusserlichen Gebrauch der Bleymittel, aus dem Englischen übersetzt, qui satis clare docet, ex erronea theoria, quam de modo, quo saturnina externe applicata in C. H. agunt, GOVLARDVS sibi finxit, oriri thraonica sua encomia, quibus hoc Metallum extollit.

§. 289. Notemus hic, quod *Liquor probatorius*, qui ex *Auripigmento* et *Calce viva* paratur, non sufficiat, ut detegamus, an *Vinum Plumbo* adulteratum sit; cum etiam *Stannum*, *Cuprum*, *Mercurius*, simili modo et colore, cum *Liquore* hoc praecipitantur; si *Metalla* haec *acido vegetabili* soluta fuerint. Vid. C. WOLLINI *Dissert. de vin. Lithargyr.*, *manganisat. et perillust. DELII Revision der Weinprobe auf Bley.*

4. *Acetum Squilliticum.*

§. 290. Recipe, *Radici Squillae praeparatae* Libram unam.

Aceti Vini Libras sex.

Insolentur per triduum, exprime et cola.

Coloris ex flavo fusci esse debet et clarum.

§. 291. *Veteribus* (*) iam celebre fuit remedium, ad *viscidum in stomacho, intestinis, pectore, visque urinariis* incidendum et ex eis educendum. In minori dosi, a Drachma una usque ad tres, *lorium* pellit, in maiori vero, ad Drachmas sex, vel integram Vnciam, *vomitum* excitat. Si minori portione incipiat, et tunc sensim dosis augeatur, citra *vomitum*, saepe usque ad Vnciae dimidium et amplius ascendere possumus. Insuper saepe aegroti, praesertim ei, quibus *pectus copiosa tenaci pituita* scatet, statim magnas tolerant doses, nulla subsequenti *nausea* seu *vomitu*. Conducit praesertim in *affectionibus catarrhalibus, suffocativis, a pituitae stagnantis copia ortis, asthmate pituitoso et spasmodico*, in quo, testante F. HOFFMANNO, *spasmos* lenit. In *hydrope pectoris* et aliis *hydropis speciebus* magna facit; uti quoque in *viscerum abdominalium obstructionibus*, in subiectis *pituita* scatentibus, *eximii* est usus. Si *hydropicis* datur, in eis *orthopnoeam* et *anxietates intolerabiles* saepe satis cito auferit. Vbi vero in *obstructis visceribus inflammatio* metuenda est,

vel

(*) Vid. Lib. de Euporist. qui GALENO adscribuntur, Cap. 205. et PLINII *Histor. Natur. Lib. XXIV. Cap. 2.*

vel quando *pulmones laesi* sunt, *squillitica* sollicitè vitanda sunt. Male etiam in *febris acutis inflammatoriis* dantur, uti B. DE HAEN *Rat. med. Part. 1. c. 2.* suadet, qui *Oxymel squilliticum* perperam ad *antiphlogistica* refert.

Oxymel inde paratum, ob admixtum *Mel*, ad incidendos *crassos et pituitosos humores*, adhuc praefendum est. Datur hoc, eo ex scopo, Drachmis tribus usque ad integram *Vnciam*, et aliis *vomitivis*, tanquam coadiuvans, in varia portione additur. *Infantibus nuper natis* cum *Aquae destillatae* vel *Syrupi* aequali parte misceri, et tali modo ad vomitum *ciendum* parvis cochlearibus, brevioribus temporis intervalis, usque ad sufficientem effectum, exhiberi potest.

Acetum vel *Oxymel* in *Gargarismatibus* adhibitum, *auditus gravitatem*, *vertiginem*, *dolores capitis*, *coma somnolentum a causis pituitosis*, mirum emendat. Ad *Sinapismos*, nostrum efficacius est *Aceto communi*.

5. *Acetum vini concentratum.*

§. 292. Hyeme, *Acetum* intenso frigori in vase terreo aut ligneo exponitur, et tam diu relinquitur ibi, donec forte tertia quartave pars eius congelaverit, et quod in medio vase superest fluidi, perfracta aut pertusa glacie, effunditur usuique servatur. Vid. STAHLII *Opusc. med. chym. phys. p. 368.*

In calidis regionibus, ubi *frigoris* necessarius gradus deficit, in vase vitreo amplo aperto, usque ad tertiae partis remanentiam, *Acetum* evaporatur, et tali modo concentratur; nam in *acidis liquoribus*, primo *aquosae partes* avolant, et *acidae* remanent.

Omnium maxime vero *concentratum* evadit *Acetum*, sequenti modo, quem *clar.* WESTENDORFIUS, in *pecul. Dissertatione, de Aceti Naphtha* proposuit.

Recipe, *Salis Sodae depurati* Vncias sedecim, *Aceti Vini destillati*, quantum sufficit ad perfectam saturationem. *Liquor percolatus* evaporetur et *crystallifetur*. *Crystalli rursus*, tenuissimo calore aut aere, in *pulverem* redigantur. Postea huius *pulveris*,

E 5

partes

partes duae, immittantur *Retortae* satis amplae capacitatis, et, sub continua agitatione, minutim insillitur,

Acidi Vitrioli concentrati pars una.

Retortae Balneo arenae impositae, adapte-
tur vas recipiens magnum, clausis probe
commissuris vesica madefacta, destillatio
leni igne continuetur, usque dum nebu-
lae in vase recipiente, et guttae ad extre-
mum collum cessaverint.

Altero vel altero modo satis concentratum est *Acetum*; si Drachma eius sufficiat ad saturationem *Scrupuli* unius *Salis alcali vegetabilis fixi*.

§. 293. *Acetum concentratum*, multo efficacius est *com-*
muni et destillato. In genere, circa *Aceti* vires, notemus, eius
usum tam in- quam *externum*, uti ex *DIOSCORIDIS Lib. V.*
c. 17. patet, satis antiquum esse. Nobile est *anridorum*,
quod simul a *putredine* mirum defendit; resolvit etiam *coa-*
gulata, erigit *nervos*, movet *spiritus* et *sudorem* potenter *ex-*
citat. *Februm* ergo *putridarum*, *malignarum* atque *pestilen-*
tialium tempore, tam *interne* sumptum conducit, quam etiam
externe fornaci, vel carbonibus superfusum; saepe etiam,
dum tales *febres* grassantur, eo in *fomentationibus*, vel *frigi-*
dis, vel *repesactis*, uti consultum est, sicut et *Enemata*, ex
aequalibus partibus *Aquae* et *Aceti* parare, quae contra *pu-*
tridinem valebunt, prodest. Ex causis his, iam olim apud
Romanos celebre fuit, qui eo praecipue copiose et frequen-
ter in *castris* usi, ut se eo magis contra *contagiosos epide-*
miosve morbos praemunirent. *Pestis* tempore, id, tanquam
praestantissimum *prophylacticum*, etiam reperit *SYLVIVS DE*
LA BOE. *Aceto* ad *Vnciam* unam alteramve prius epoto,
hic *Medicus* peste aegros securus invisit, et testatur *Prax.*
med. §. 489. se saepe omisso culpam dolore statim capitis
luisse. *Externus* usus, ad odorandum, aeremque *contagiosus*
temporibus emendandum, praecipue laudatur ab *ISBRANDO*
DIEMERBROECKIO in *Lib. de peste* pag. 130. 133 et 170.
Praeterea *Acetum* in *febris acutis*, *inflammatoriis*, *ardent-*
ium immanitate, *variolis* aliisque *febris exanthematicis*, si
morbillos excipias, utilissimum est. *Largum* eius *usum* *inter-*
num, in *morbis melancholicis* et *maniacis*, laudabilem praedi-
cant *Medici Viennenses*. In *debilibus*, *languentibus*, *syncopti-*
cis, *soporosis*, *vomiturientibus*, mirum quidem iuvat, si vel
nari-

naribus orique adhibitum, vel in ventriculum ingestum fuerit. Eodem modo valde prodest *convulsis, hysteris, hypochondriacis, si sanguinis massa densa, vel rarefacta reperiatur.* De viribus, quae *Acetum* in *Chysteribus* adhibitum, ad *obstructiones alvi* pertinacissimas referendas, exferit, inter alia, vid. *clar. MARCI HERZ Briefe an Aerzte.* Antea iam eadem ratione B. KAEMPFIVS *Oxymel simplex* adhibuit. *Aceti vaporem, in ortu hœmoptoe variolosa ex pulmonum inflammatione orta, prae aliis laudat illustr. TISSOTVS in Avis au peuple sur la santé,* et magnarum virium est ad *tumores fibrillosos* dissipandos. Pari modo conducit in quacunque alia *pleurite et peripneumonia.* *Vteri haemorrhagiis, tam in fomentationibus, quam iniectionibus, certum auxilium praestat.* Ad damna superanda, quae a variis halitibus, e. g. *carbonum, oriuntur, et contra plantarum narcoticarum et fungorum venenum, maximam habet virtutem: sicut non minus, in diversis capitis doloribus, externus eius usus excellens est.*

Oxymel ex eo paratum *simplex* dictum, praecipuam meretur laudem, et veteribus iam satis acceptum fuit. Ob *indolem eius saponaceam, et vires densitatem sanguinis incidendi et crassos humores dissolvendi, in plurimis morbis acutis, utiliter pro potu ordinario datur, vel solum, ad aliquot Vncias, in Aquae Libra solutum, vel Sale quodam medio adhuc mixtum. Putredini resistit, calorem minuit, sudorem movet, urinam fecerit et alias excretiones secundat.*

Speciatim in *Chirurgia* consulto adhibetur *Acetum, ad discutiendas sugillationes, inflammationes, putrida ulcera, morsus virulentos et ipsam gangraenam.* Inde BOERHAAVIVS *Elem. chym. T. II. Proc. 50. p. 184.* iudicat, *Chirurgos* ad haec externa mala, nil quidquam cognovisse pulchrius. Notum etiam est, ex *veterum Medicorum et Chirurgorum scriptis, eos Oxycrato vel Oxymelle in contusionibus, luxationibus, fracturis, et in ipso sphacelo, partes affectas fomentando, frequenter usos fuisse. Vnciae tres vel quatuor in Aquae Libra solvuntur.*

Raro *Acetum commune* nude et solum, effectus medicinalis ergo, praescribitur. Quodsi tamen id ipsum fiat, a binis Vnciis datur ad tres, *Syrupo* quodam antea edulcatum. *Concentrati, quod etiam ad haemorrhagias valet, quae a dente exulso oriuntur, et scorbutica dentium profusiva tollit, iam aliquot Drachmae id exferunt, ad quod communis plures Vnciae requiruntur.*

Aceti usus culinaris, nemini non innotescit, cui, si indulserimus, crassitiam et pinguedinem corporis quodammodo minuit, Caeterum Acetum, ob vim suam fibrarum cohaerentiam

et

et humores resolvendi, vitandum est in feminis, quae chlorosi et debilitate fibrarum laborant: quia toties quoties vidimus in eis, quae genarum amoenum ruborem, rustici quid esse putant, et ideo Aceti usui nimis indulgent, id, cum faciei pallore, simul viscerum et concoctionis summam debilitatem eis induxisse. Nocet etiam eius usus nutricibus: quia Lac eorum, inde infantibus ventris tormina, et alia incommoda excitat.

6. Acetum vini destillatum seu Spiritus aceti.

§. 294. Aceti Vini circiter quarta pars, e cucurbita cuprea stanno probe incrustata, eliciatur destillatione forti igne instituta, per alembicum ex Stanno confectum. Postquam hoc Phlegma absumentum est, tunc ope instrumenti, quod Recipiens vocant, protrahatur destillatio, quam diu clarus nec empyreumaticus prodit Spiritus, qui servetur. Aliqua pars Spiritus primum prodeuntis abiiciatur, quia tunc Spiritus asservatus fortior erit.

Sunt quidem vitreae cucurbitae ad destillationem multo securiores; sed non sufficiunt, ubi magna quantitas destillanda est: tunc ergo Vesica cuprea Stanno probe incrustata, WEDELII monitu, quia nullae de Cupro partes in destillatione per Recipiens transeunt, tuto adhiberi potest; Alembicus vero semper ex puro Stanno sit confectus.

§. 295. Ad labores pharmaceuticos et chymicos diversos, e. g. ad parandam Terram foliatam Tartari adhibetur.

7. Acidum nitri. Vulgo Spiritus nitri acidus. Seu Aqua fortis.

§. 296. Antea Acidum Nitri, Nordhusia ad nos veniebat, iam vero a FIEDLERO nostro paratur, quod extero bonitate non cedit. Paratur sequenti modo:

Recipe, Nitri puri Libras tres.
Vitrioli viridis, calcinati Libram unam.

In

In pulverem redacta probe misceantur et destillentur ex *Retorta terrea*, seu *vitrea loricata* in *excipulum*, cui prius *Aquae sesquilibra* fuerit immissa.

Ei *Acido* quod *Pharmacopolae* a laborantibus emunt, prius instillanda est *solutio Argenti*, usque dum amplius non turbetur, quia vulgo cum *Acido Vitrioli* et *Salis communis* contaminatum est.

§. 297. *Interne*, ob *rodentem* et *causticam* suam vim, non adhibetur. *Externe* vero ope *penicilli*, *excrecentiae*, quae *cornu indolem* induerunt, et *verrucae callosae*, eo attinguntur: sed summam poscit cautionem, ne inde *ulcera mali moris* oriantur.

8. *Acidum nitri fumans*. Vulgo *Spiritus nitri Fumans*.

§. 298. Recipe, *Nitri depurati, exsiccati et pulverisati* Libras duas.

Immittatur *Retortae vitreae tubulatae*, satis capaci, et tunc sensim et pedetentim affunde, *Acidi Vitrioli concentrati* Libram unam.

Applicato *Excipulo* satis magno, et iuncturis vasorum probe clausis, leni igne *destillatio* instituat. Ita sub forma fumorum rubicundorum, *Acidum* prodit penetrantissimum, quod in vitro, epistomio vitreo clauso, sollicitè custodiatur.

Vocatur etiam *Spiritus Nitri Glauberianus*.

§. 299. Penetrantius et fortius est priori. Inservit etiam pro parando *Spiritu Nitri dulci*. Laudatur etiam ad *nodos podagricos*, in quibus vero L. B. a SWIETEN et CRANTZIVS praestantiorē invenerunt *solutionem*, quae ex tribus partibus *Salis Tartari* et parte una *Calcis vivae* consistabat, cum qua *solutione calida*, linteamina imbuuntur.

Hacc

Haec solutio tantum producta ex regno animali solvit, et ea ex vegetabili intacta relinquit.

9. *Acidum Salis. Vulgo Spiritus Salis communis acidus.*

§. 300. Rec., *Salis communis exsiccati* Libras duas. Immitte in *Retortam vitream tubulatam*, et successive instilla, *Acidi Vitrioli concentrati* Libram unam.

Adaptetur *Excipulum* amplum, in quod *Aquae communis destillatae* Vnciae tres infusae fuerunt, et instituat *Destillatio*, primo leni igne, qui gradatim augeatur, et tandem vehementissimus evadat, ita, ut ulterius vapores nulli prodeant.

Notandum, quod *Retortae operculum* mobile debeat esse.

Acidum hoc ideo *Pharmacopoei* ipsi destillare debent, et non a *Seplasiariis* emere, quia ab *Acido* tali, quod *Seplasiarii* vendunt, *Spiritus Salis dulcis* non sincerus acquiritur, et plerumque id *Acido Vitrioli*, vel *Tartari*, adulteratum est. Illud vero, quod *FIEDLERUS* parat, bonae esse notae, *Collegium nostrum Medicum* testatum fuit.

§. 301. *T. PARACELSVS* in *februm malignarum* curatione, huic *Acido* multum tribuit, et *I. B. HELMONTIVS* illud ad *dysuriam* et *ischuriam renalem* commendat. „Memini sane, *SCHVLZIVS* in *Praelect. in Dispens. Boruff. Brand. p. 573.*, ait, sane felicitus effectus (in *ischuria*) cum, post multa a Medicis frustra adhibita, superveniens *Chirurgus* aliquot guttulas in iusculo offerret, magnamque gratiam et laudem cita curatione reportaret. Est etiam *usus externus*, ut *Melle Rosarum* distemperato, *gurgulio* et *fauces inflammatae* eo tangantur, ne *suppuratio* aut *plena corruptio* consequantur. In ipso quoque *sphacelo*, ad *progressum mali* inhibendum *Spiritus* bene abhibetur.”

10. *Acidum vitrioli concentratum.*Vulgo *Oleum vitrioli.*

§. 302. *Acidum hoc Vitrioli*, quod a saepius memorato FIEDLERO paratur, eadem gaudet bonitate, quam *Nordhusianum*. Paratur sequenti modo:

Recipe, *Vitrioli ad flavedinem calcinati* partem unam.

Silicium grosse contusorum partes duas.

Spiritus Vini, quantum sufficit, ut fiat pultis instar. Destilla per Retortam.

Sit diaphanum et purum, non ex rubro nigricans, nec partibus heterogeneis remixtum. Quando vero his proprietatibus non gaudet, sequenti modo rectificetur.

Acidi Vitrioli q. v. in *Retorta vitrea* ad modicum ignem coque, donec liquor desillans discretis guttulis in collo *Retortae*, roris instar non appareat. Liquor hic limpidus, in *Retorta* remanens, calide adhuc dum transfundendus est in lagenam vitream siccam, ab aeris accessu probe muniendus epistomio vitreo.

§. 303. Quod ex *Anglia* venit, debilius est nostro et *Nordhusiano*. Praeterea in fundo lagenarum magnarum, quibus ex *Anglia* ad nos adportatur, sedimentum reperitur, quod ex saturnina calce constat, quia ibi in vasis ex *Plumbo confectis* paratur: hoc sedimentum vero sollicite separandum et abiiciendum est.

§. 304. Summum hoc *Acidum causticum*, variis aliis parandis remediis et laboribus pharmaceuticis, ac chymicis inservit. Si *Aqua* sequenti modo diluatur, optimum praebet remedium contra eam scabiem, quae a praedominio acrimoniae alcalinae oritur, vel scorbuticos et eos, qui febre putrida laboraverunt, inquinat; ad haemorrhagias sistendas; in febribus putridis et humorum resolutione.

Recipe, *Aquae fontanae* Vncias duas.

Huic guttatim instilla

Acidi Vitrioli concentrati Drachmam unam.

Post effervescentiam peractam, adde

Syrupi cuiusdam Drachmas duas.

Ter,

Ter, quaterve in die, de hoc medicamine drachma una vel altera, ex copiosa *Aqua* sumitur. Vid *clar.* HELLMICHI *Diss. de usu interno Olei vitrioli diluti in nonnullis scabiei speciebus*, Halae 1762. In ipsa *lepra*, *Acidum nostrum* eximios exserere effectus, JAMES CARMICHAEL SMYTH observationes testantur, quae leguntur in *den medicinischen Beyträgen der Societaet zu Ausbreitung medicinischer Kenntnisse* I. Theil, p. 187.

II. *Acidum vitrioli tenue.* Vulgo *Spiritus vitrioli acidus.*

§. 305. Rec., *Aquae communis destillatae* Libras sex.
Huic sensim infilla,
Acidi vitrioli concentrati Libram unam.

Vfui serva.

§. 306. Quanta, largus huius *Acidi* usus, ad *aestum febrilem* moderandum, et *putredinem* superandam praestet, cuilibet notum et compertum est. Nobis notare incumbit, in *morbis putridis* et *febris biliosis*, usum eius non facile ultra limites extendi posse: quia, praemissis necessariis *Evacuantibus*, omnis fere curationis cardo, in usu eius liberaliori et *divino cortice* versatur. Recte ideo etiam, in omnibus *morbis*, ubi *putridus fomes* suspicandus et praefens est, e. g. in *febris sic dictis castrensibus*, *dysentericis*, *perichialibus* aliis *exanthematicis* et ipsa *peste*, liberaliter porrigitur. Quod vero caeteras *febres*, e. g. *inflammatorias*, et ubi praecipue, ad *aestum* temperandum, praescribitur, attinet, bene maximi SYDENHAMI monitum observetur, quod in moderandis *motibus febrilibus*, ita *Medicum* versari oporteat, ut ne quidem gradu excedant, sed etiam minime plane supprimantur. Vtique ergo, praesertim in *exanthematicis*, ante eorum *eruptionem*, nisi praesentanea ad *putredinem* dispositio, vel *resolutus sanguis* alia exigant, saepe usus eius valde limitandus, et non, uti multi opinantur, tanquam remedium nunquam fallax et nocivum, ubique praescribendum est. Sic e. g. consulto quidem in *variolis*, ubi *ingens aestus* ante earum *eruptionem* adest, et haec ob *ingentem sanguinis expansionem* impediatur, ad praemuniendum etiam a *putredine*, et mitigandam *alteram variolarum febrem*, exhibeatur: sed videatur tamen, ne eo copiosiori dato, in illis, ubi, monente HVXHAMO, *calor* augendus est, *naturae salutaria conamina* ad aegroti *damnum* supprimantur: uti vidimus, quando ab illis, qui *saluberrimum illustr.* TISSOTTI con-

consilium finire intellexerunt, datum fuerit. Insuper notari meretur, *Acida mineralia temperando simul sanguinis massam condensare*, quem vero *vegetabilia fluidiorem reddunt*, et itaque, sicut priora in *morbis putridis* magis profunt, haec tamen in *morbis inflammatoriis veris* melius conveniunt. Praeterea in *hominibus melancholicis*, qui *humorum pituitosorum* copia scatent, in *infantibus lac sugentibus*, vel *hominibus copiose illud edentibus*, in *hystericis et hypochondriacis*, *Acidorum mineralium* usus vel moderandus, vel plane vitandus est.

Datur, pro morbi diversitate et Medici intentione, in variis, modo minori, modo largiori dosi, a guttis triginta nimirum usque ad integras Drachmas, vel in *Mixturis*, vel cum *Syrupo* quodam dulcatum. In *febris putridis*, saepe tanto liberaliori modo *Acidum* hoc aegrotis porrigere consultum est, ut intra *nychthemeron* Vnciam unam imo sesquiunciam aeger de eo capiat. Praeterea venit ad *gargarisnata*, *collutoria* et *linctus*, quae in *angina inflammatoria*, *gangraenosa*, *aphthis* et aliis *oris ulceribus* valent. In *ulceribus* quoque *putridis*, etiam id cum *Aqua dilutum* applicari potest.

12. Aerugo, seu aes viride praeparatum.

§. 307. *Aes viride* in mortario lapideo pulveretur et per cribrum traiciatur.

Sic etiam *Antimonium crudum*, *Lapides cancerorum* et *Succinum* parantur. *Lapis calaminaris*, antequam in pulverem redigitur, ter candefactus in *Aqua fontana* extinguitur. Quando vero, uti ut plurimum fit, iam *calcinatus* accipitur, tantum uti caetera medicamina pulverifetur. Praecipue in hoc *Lapide* et *Antimonio*, cura singularis adhiberi debet, quo in *pulverem* quam maxime *subtilem* redigantur.

§. 308. Ad *ulcera sordida* prudens eius usus non dammandus est; uti quoque ad varia *externa medicamenta* venit. Caveatur autem, ne ad *Ossa* forsan admoveatur: quoniam iisdem *cavem* inducit. *Illustr.* DVNCAN suadet quidem in *rinca Unguentum* capiti applicare, quod ex *Drachma dimidia Aeruginis* et *Vnciis duabus Exungiae porcinae* constat, sed nobis hoc nimis temerarium videtur. Ab HELVETIO iuniorie etiam *interne* in *morbis veneris* valde laudatur, sed merito omnia tentamina, quae de *interno usu* cum hoc et huius generis aliis *vehementissimis remediis*, e. g. *Arsenico*,

Piderit Pharmacia.

F

Cupro

Cupro ammoniacali etc. a Medicis suscipiuntur, tanquam temeraria et damnanda reiicimus. Dolendum sane, quando saepe, non quidem veros prudentes et rationales Medicos, sed audaces homunciones, tali modo de corio humano ludere vidimus.

AETHER VITRIOLI. vid. *Naphtha Vitrioli.*

AETHIOPS ALCALISATVS. vid. *Mercurius alcalifatus.*

13. *Aethiops antimonialis Huxhami.*

§. 309. Rec., *Antimonii crudi praeparati* Vncias tres.

Mercurii vivi rite depurati Vncias quatuor.

Florum Sulphuris Vncias duas.

Misceantur, adspargendo interdum aliquot *Aquae* guttulas, diuturna trituratione, in qua omnino res sita est tota, in *mortario lapideo*, usque ad perfectam unionem, ut etiam *Microscopii* ope globuli *mercuriales* non detegantur. Seruetur in *vitro*.

§. 310. Bonum est *anthehuinthicum*, et ei scopo *infantibus*, a Granis quinque, octo ad duodecim et ultra datur. Conducit etiam ad liberandas *glandulas*, *mucositate* et *piruita* obsessas; corrigit *lympham acrem*; hinc convenit in *arrophia*, *scabia*, praesertim *venerea*, *inquinamentis venereis*, *tumoribus glandularum colli*, *arthritide serosa*, *oculorum variis viriis*, e. g. *amaurosi*, et ipso *carcinomate*. Praesentibus *viscerum exulcerationibus*, ab usu eius vero abstinendum est. *Adultis*, usque ad scrupulos duos dari potest. Ut plurimum utile est, *Purgantia* ei addere: quia quoque uti alia *Mercurialia* continuatus eius usus *salivationem*, excitat. *Illustr.* MARCARDVS de nostro *Aethiops salivationem fere lethalem* vidit, uti in THOMPSONII *Medicinischem Rathschlägen ab eo ex Anglico in German. idioma translät. p. 363.* testatur.

Num eam virtutem, potentiam et securum praesidium contra *variolas* praestet, uti BOERHAAVIO acque ac LOBBIO et nostro tempore *illustr.* COTVNNIO visum fuit, definire non audemus, sed ulteriori et accuratiori disquisitioni relinquimus. Ex nostra enim opinione, uti etiam alii iam monuerant, dirimendum prius foret, numne hic *Aethiops* alia-

aliave *Mercurialia*, dum ad leviozem *variolarum* decursum quidpiam conferunt, hanc vim magis destruendo id, quod plerumque in infantibus praesto est, et in *variolarum* decursum potenter operatur, *corpus seminis verminosi*, quam in bene regendis ipsis *variolis* praestet: qui tamen usus, si a cauto dirigatur *Medico*, non contemnendus plane foret. Datur huic scopo bis in die, a *Scrupulo* dimidio usque ad integrum, paucis *Campborae* *Granis* mixtus.

Commode *Aethiops* hic, loco *Aethiopsis mineralis*, cuius praeparationem primus dedit *GVALTER HARRIS* in tract. de morb. acut. infant. esse potest: nam praedominante *ventriculi acido*, ubi *Antimonium* vitandum est, *Mercurialia* adhuc magis, et itaque etiam *Aethiops mineralis* nocent.

AGARICVS CHIRVGORVM. vid. *Boletus ignivarius.*
ALCOHOL VINI. vid. *Spiritus Vini rectificatissimus.*

14. *Alumen usum.*

§. 311. *Alumen* in vase *fistili*, non *crusta* obducto, vel *ferreo* calcinetur, tamdiu effervescit ac tumet, et *spiritibus* expulsis, leve, porosum et quam *spumosum* evaserit.

§. 312. Ad repurganda *ulcera*, (*) praesertim ad *carne* *luxuriosam* et *fungosas* *excrescentias*, quae in *nupernatis* circa *umbilicum* oriuntur, valet, et ei scopo, diversis *Emplastris* et *Vnguentis* admiscetur. *Intrernum usum* laudant in *colica pictorum*; die *Abhandlungen praetischer Aerzte* p. 2. fascic. 2. p. 80. Nobis in hac re deficit *experientia*.

ANIMA RHABARBARI. vid. *Tinctura Rhabarbari.*

15. *Antimonium crudum praeparatum.*

§. 313. Vid. §. 307. *Antimonium crudum* in *impuritatibus* *cutis*, *sero acri viscido*, ipsoque *venereo*, *morbis arthriticis*, *contractura* et *paralyti*, uti et *gonorrhoea* male tractata, summam meretur laudem. Vbi *acidorum humorum* copia in *ventriculo* adest, praemittuntur *Absorbentia*, vel coniunguntur cum eius usu; ne *vomitum* exciter. Vt *Ventriculum* non offendat, utile est miscere cum *Aromate*, ad quam normam *Morsuli antimoniales Kunckelii* et *Pulvis purificans Kaempfi* parantur, et itaque ei scopo exhibentur. *Antimonium crudum* datur a *Granis* sex usque ad *Scrupulum*.
F 2

(*) In his tamen illustr. CVLLEN ei Praeparata ex *Mercurio* vel *Cupro* praefert. Vid. *Eius Mat. Med.* in *German. idioma* ab illustr. *HAHNEMANNO* transl. 1. B. pag. 25.

fulorum ponderis Drachmarum duarum, duo vel tres in die adultis, et infantibus dimidia talis morsuli pars, bis in die dari possunt. Pulvis purificans Kaempferi, a Drachma dimidia usque ad integram adultis, et a Serupulo dimidio usque ad unum infantibus, semel vel bis in die porrigatur. Cavendum vero sollicitè, ne in scirrhis viscerum obstructionibus, temere aegris Antimonialia infarciantur.

In Decoctorum vel Infusorum praescriptione, Antimonium in petia ligatum, si Sal alcali Decocto non additum est, quod partium sulphurearum quasdam solvit, nullum usum habet, uti rectè clar. MENGHINI in Comm. Insir. et Acad. Bonon. T. II. p. 11. monet, Plura de Antimonii usu vid. in HVXHAM Oper.

AQVA BATEANA, vid. Aqua styrica.

16. Aqua calcis vivae.

§. 314. Rec., Calcis vivae probe usae, recentis Libram unam.

Immittatur patinae terreae vitreae, vel lignae, ac desuper affundantur Aquae fontanae purissimae Librae octo.

Interdum Spathula lignea misceantur, et Aqua, post duodecim forte horas, decantetur, filtretur et asservetur in vase bene clauso.

Ad minimum quolibet mense recens paranda est.

§. 315. Intus assumtae vires sunt abstergentes, diureticae, aperientes, stimulantés et acidum sopientes. Prodest ergo in omnibus morbis, ubi humorum acidorum, auferuntur et mucosorum copia, in vitio est; in viscerum obstructionibus scrophulosis, diversis cachexiae speciebus, chlorosi, diversis morbis exanthematicis chronicis, scorbutique ea specie, ubi sales muriatici fixiores in sanguine haerent, et mobilitate et stimulo indigent. In cancro vis eius adhuc dubia est, et quanquam nephriticas et lithontripicas virtutes clar. ALSTON et ROB. WHYTT, quilibet in peculiari Dissertatione, uti quoque clar. SCHEELE valde laudant, tamen ad calculum inefficacem eam invenerunt SPRINGSFELD, BERGIVS et alii, uti etiam hoc ex acutissimi PRIESTLEY observatis liquet. Cum ventriculum onerat, et concoctionis viscera eius diuturnus usus laedit; utili modo, cum interno eius usu, roborantia et stomachica iunguntur. Noceat Aqua nostra, a multis supra modum laudata, in omni praedominio humorum
alca-

alcalescentium, biliosorum, acrium, putridorum, hincque in omnibus morbis putridis, acutis, pbrhiscis. Adhibendi eam ratio sequens est: exhibentur bis vel ter in die Vnciae tres, vel quatuor ad mensē et amplius. Datur vero vel sola vel cum Lacte. Plura vid, in DETHARDINGII *Diss. de Aquae Calc. viv. usu salutar. in specie in morb. exanthem. chron. et* CARTHEUSERI *Diss. de Calc. viv. interno usu.*

Externe ad *ulcera plorantia, fistulas, vitiliginem, iam HIPPOCRATES eam laudavit: Facit vero quoque multum ad inflammationes, quas discutit; etiam ad ambusta et ipsam gangraenosam corruptionem.* Tanquam remedium exsicicans eam in gonorrhoea, in urethram iniicere et fomentando ea partes genitales, suadet doctiss. GIRTANNER in opere sui generis unico *liber die venerischen Krankheiten 1. B. p. 117.* Sed videatur ne nimis mature tali modo gonorrhoea supprimatur.

17. *Aqua chaerefolii.*

§. 316. Rec., *Herbae Chaerefolii recentis Libras duas.*
Aquae fontanae Libras sedecim.

Macera per viginti quatuor horas,
et postea destillatione, non fortiori ignis gradu acceleranda, eliciantur Librae octo.

Pari modo parantur

ex *Floribus Chamomillae romanae, Aqua Chamomillae;*

Herba Hyssopi, Aqua Hyssopi;

Herba Melissae, Aqua Melissae;

Herba Menthae piperitidis, Aqua Menthae piperitidis;

Herba Pulegii, Aqua Pulegii;

Floribus Sambuci, Aqua Sambuci.

Destillatio *Aquarum* fiat ex Alembico cum vase frigidario amplo, *Aqua frigida* semper repleta.

Per sic dictam cohobationem *Aquae* non fortiores sed ingratiore evadunt.

Ex tempore quaevis *Aqua destillata* parari potest, quando *Aquae communis* Librae, adiicitur Vncia dimidia *Spiritus Vini*, in quo tres vel quatuor guttae *Olei destillati*, cuius odorem *Aqua* habere debet, fuerint dissolutae.

§. 317. In genere pro *vehiculis* aliorum remediorum *Aquae destillatae*, si eam ex *Lauro Ceraso* excipias, inferviunt; magnas vires ab iis non expectemus, sed partim alia Medicamenta gratiora reddunt, uti *Aqua Cerasorum nigrorum*, *Rubi idaei*, partim earum effectum aliquomodo secundant, ut *Aqua Florum Cassiae*, *Melissae*, *Menthae piperitidis*, *Napthae*. Caeterum vires, quae eis insunt, a *plantis* ex quibus destillantur, determinandae sunt. *Vires* itaque *Aquae Chaerifolii* sunt *temperantes* et *diureticae*.

18. *Aqua cerasorum nigrorum.*

§. 318. Rec., *Cerasorum nigrorum*, ex quibus antea *succus expressus fuerit*, Libras tres.
Aquae fontanae Libras sedecim.
Stent per diem, postea destillatione eliciantur Librae octo.

Pari modo paratur

ex *Fruetibus Rubi idaei*, *Aqua Rubi idaei*.

Etiam ex *Amygdalis amaris contusis*, quarum *Libra dimidia*, ad parandas *Libras sex Aquae* sufficit, *Cerasorum Aqua* conficitur.

§. 319. Vtraque *Aqua* ex *Cerasis* et *Rubo idaeo*, *sapore* et *odore* suavissima, *vique rescienti* commendatissima est. *Aquam Cerasorum* interim multi fastidiunt, et saporem eius cum *foetore cimicum* comparant. Insuper *Nuclei Cerasorum*, unde *Aqua odorem* et *saporem* habet, *ratione saporis* maximam habent similitudinem cum *Foliis Lauri Cerasi*. Quoniam vero haec *Folia infusione* et *destillatione* subito *venenum* spargunt, *Medici*, qui in *Angliae civitate Worcester* Praxin exercent, cum *Aqua Cerasorum* sapore et odore *nucleorum* valde divite, in animalibus tentamina instituerunt, ubi observarunt, quod in eis *venenosos effectus* ediderit, quae observata etiam illustre *Collegium medicum Londinense* fundata invenit. Quamquam *Aqua Cerasorum*, quam in *Pharmacopoeis* accipimus, non tam saturata est, quam illa, cum qua *Angliae Medici* tentamina instituerunt, tamen cum usu eius in *infantibus* et *hominibus debili nervorum systemate praeditis* cauti esse debemus, quia in maiori quantitate data, omnino *soporosum effectum* edere potest.

19. *Aqua chamomillae.*

§. 320. Vid. §. 316. *Vires carminativae* et *antispasmodicae* sunt.

20. *Aqua destillata communis.*

§. 321. *Aqua fontana*, lege artis destillatur.

§. 322. Ad *solutiones* varias, e. g. *Tartari emetici*, *Mercurialium* etc. quae non ubivis in *Aqua fontana simplici* solvuntur, inservit.

21. *Aqua florum cassiae.*

§. 323. Rec., *Florum Cassiae contusorum* Libram unam.

Aquae fontanae Libras duodecim.

Stent per diem. Postea destillatione eliciantur Librae sex.

Loco *Aquae Cinnamomi* est.

§. 324. Ad efficaciores pertinet *Aguas destillatas*. *Vires* eius sunt *stimulantes* et *analepticae*.

22. *Aqua florum cassiae spirituosae.*

§. 325. Rec., *Florum Cassiae contusorum* Libram unam.

Spiritus Vini,

Aquae communis, ana Libras octo.

Destillatione eliciantur Librae sex.

Diluatur postea *Aquae communis*

Libris duabus, et edulcoretur

Sacchari canariensis Vnciis duabus.

Pari modo *Aqua Menthae piperitidis spirituosae* paratur; sic vero quidem, ut Librae duae *Herbae Menthae piperitae*, ad octo Libras *Aquae* destillandas sumantur.

In *aquis spirituosis* destillandis, requiritur *Spiritus Vini* satis probus.

§. 326. Maiorum virium est *simplici*, et instar *Spiritus* sed non *Aquae* praescribatur. Datur ad Vnciam dimidiam vel integram bis terve in die, si vel *vires exhaustae* fuerint, aut *nervorum imbecillitate* laboretur. *Digestionem* etiam secundat.

23. *Aqua foeniculi.*

§. 327. Rec., *Seminum Foeniculi dulcis* Libram unam.

Aquae fontanae Libras sedecim.

F 4

Mace-

Macera per viginti quatuor horas,
et postea eodem modo uti §. 316.
descriptum fuit, destillatione eli-
ciantur Librae sex.

§. 328. *Aqua carminativa* est.

AQVA FORTIS. vid. N. 7.

24. *Aqua byssopi.*

§. 329. Vid. §. 316. Ad *Mixturas et potiones bechi-*
cas utilis est.

25. *Aqua iuniperi.*

§. 330. Rec., *Baccarum Juniperi* Libram unam.

Aquae fontanae Libras duodecim.

Destillatione elicantur Librae sex.

§. 331. Stimulando, *urinae excretionem* promovet.

AQVA JUNIPERI SPIRITVOSA. vid. *Spiritus*
Juniperi.

26. *Aqua laurocerasi.*

§. 332. Rec., *Foliorum Laurocerasi recentium* Li-
bram unam.

Aquae fontanae Libras duas.

Destilletur lege artis ad dimidie-
tatem.

§. 333. Ad *periculosissima narcotica et toxica* pertinet
nostra *Aqua*; et subito deleteriam suam vim exferit. Maxi-
mam itaque eius *usus internus* requirit cautionem, quando
ad *scirrhus* resolvendos ea uti volumus. Datur a Guttis vi-
ginti ad sexaginta usque, successive nimirum ascendendo.

27. *Aqua melissae.*

§. 334. Vid. §. 316. *Vires nervinae et uterinae* sunt.

28. *Aqua menthae piperitae.*

§. 335. Vid. §. 316. *Aqua carminativa* est, quae in
doloribus colicis flatulentis, henteria, diarrhoeis et vomitu
spontaneo conducit.

29. *Aqua menthae piperitae spirituosae.*

§. 336. Vid. §. 325. Longe praestantior et efficacior
est *simplici*, et ratione portionis, qua danda, ea valent, quae
circa *Aquam Florum Cassiae* §. 326. notavimus.

30. *Aqua naphae.*

§. 337. Rec., *Naphae* fsu *Florum Aurantiarum* an-
tea parum *Sale* culinari conditorum,
Libras tres.

Aquae Libras fedecim.

Destillatione eliciantur Librae octo.

Eodem modo, ex *Rosis pallidis*, *Aqua Rosarum*
paratur.

§. 338. Vtraeque odorem suavem et vim aliquam refi-
cientem possident. *Aqua Naphae* praesertim ad affectus hy-
stERICOS, tanquam antispasmodica et in viribus languentibus ut
analeptica conducit, eisque ex causis, ab Vnciis duabus us-
que ad quatuor, in *Mixturis* praescribitur. Illa ex *Rosis*,
communiter ad *aquas ophthalmicas* adhibetur.

31. *Aqua ophthalmica coerulea*
seu *sapphirina.*

§. 339. Rec., *Salis Ammoniaci* Drachmas duas.

Aquae Calcis vivae Libram unam.

Stent in ahenò cupreo usque ad solu-
tionem.

§. 340. In *ophthalmiis serosis*, ter quaterve in die,
aliquot guttulae oculis instillantur, et linzeamina, ad fomen-
tandos eos, ea imbibuntur. Post operationes in *oculorum*
affectibus institutas, etiam valet.

Aqua haec illa est, quam famosus *Ophthalmicus Eques*
TAYLOR frequenter adhibuit.

32. *Aqua phagedaenica.*

§. 341. Rec., *Aquae fontanae destillatae* Libram
unam.

Mercurii sublimati corrosivi Scrupu-
los duos et Grana quatuor.

Solvatur.

Primus huius *Aquae inventor* RVLANDVS eam cum
Aqua Calcis paravit, cui deinde MVRALTVS adhuc *Spi-*
ritus Vini portiunculam, ad quamlibet Libram nimi-
rum Vnciam, addidit. Sed praestat, *Mercurium* in *Aqua*
communis destillata solvi: quia hac ratione nullum prae-

cupitatum sequitur, et Medicamentum certioris effectus redditur. Vocatur etiam *Aqua divina Fernellii*.

§ 342. Praestantissimum est remedium, ad *ulcera*, praesertim *venerea* purganda, et eo ex scopo vel partes ea fomentantur, vel in *urethram*, illa iniicitur. In *phimosi*, *paraphimosi*, *scrovi* et aliarum partium *ulceribus venereis*, maximo cum effectu, sequenti modo tepide cum *plumaceolis* applicandum, *Aqua* nostra praescribitur:

Recipe, *Aquae phagedaenicae* Libram dimidiam.
Spiritus Vini crocari Vnciam dimidiam.
Liquaminis Myrrhae Drachmam unam,
Sief albi Rhazis Vnciam unam.
 Misce.

33. *Aqua pulegii.*

§. 343. Vid. §. 316. Utiliter admiscetur *Mixturis*, quae *mensium ataxiam* corrigunt.

AQVA RABELII. vid. *Elixir acidum Halleri*.

34. *Aqua rosarum.*

Vid. §. §. 337. et 338.

35. *Aqua rubi idaei.*

Vid. §. §. 318. et 319.

36. *Aqua sambuci.*

§. 344. Vid. §. 316. *Difcuriens* et *diaphoretica* est.

AQVA SAPPHIRINA. vid. N. 31.

AQVA SATVRNI. vid. *Aqua vegeto mineralia* *Goulardi*.

37. *Aqua sclopetaria seu traumatica* *Gallorum.*

§. 345. Rec., *Herbae Absinthii*,

Rutae,

Salviae, ana Vncias duas
 cum Drachmis duabus.

Serpilli,

Menthae piperitae,

Florum Lavendulae, ana sesqui-
 unciam.

Conquassentur, et infundantur cum
Aquae

Aquae fontanae Libris duodecim.

Spiritus Vini Libris octo.

Stent per aliquot dies, vase optime clauso, in calore temperato, et tunc lege artis destillentur Librae octo.

Primus *Aquam* hanc *vulnerariam*, cuius compositionem ad maximam partem, mutavimus, descripsit secundum formulam aliunde acceptam, LEMERY, in *Cours de Chymie*, p. 2. c. 17. §. 2.

§. 346. Resolvit *sanguinem coagulatum*, reducit illum in motum, roborat *solida*, mundificat *vulnera*; conducit itaque ad *luxata*, *fracturas*, *contusiones*, *sugillationes*, *ambusia* et ipsum *panaritium* duorum priorum graduum. Commode una huius *Aquae* pars cum duabus *Aceti* misceri potest.

38. *Aqua styptica* seu *Liquor stypticus Weberi*.

§. 347. Rec., *Aluminis crudi*,

Vitrioli coerulei, ana Vncias tres.

Aquae fontanae Libras duas.

Coque ad solutionem *salium*, et filtrato *Liquori* adde

Acidi Vitrioli concentrati Drachmas duas.

§. 348. Ad *haemorrhagias* in *vulneribus* ortas cohibendas adhibetur: sed simul ea *remedia*, vel *chirurgica*, vel *interna*, cum eius usu coniungas, quae *plerhoram* minuunt, *orgasimum sanguinis* mitigant, vel etiam *sanguinis dyscrasiam*, unde saepe *haemorrhagiae* tales excitantur, vel saltem sustentantur, corrigunt. In *narium*, vel aliis *haemorrhagiis*, quae a *solis causis internis* oriuntur, *externus stypticorum usus*, non nisi, quam maxima urgente necessitate et omnibus praemissis praemittendis, admittendus est.

39. *Aqua traumatica Thedenii*.

§. 349. Rec., *Aquae communis*,

Aceti Vini, ana Libras duas.

Spiritus Vini Libras quatuor.

Sacchari albi Vncias decem.

Misce.

Misceantur, postea digere per octo dies in *Mariae* Balneo et filtra.

§. 350. Haec est sincera *Aquae* suae traumaticae descriptio, quam *clar. THEDENIVS* in *part. secund. der neuen Beobachtungen für Wundärzte* dedit. Pulchre sanguinem coagulatum hoc medicamen resolvit, inflammationi obstitit, putredinem arcet et solida roborat. Maxime itaque conducit ad *contusiones, sugillationes, luxata, fracturas, ambusta, partes debilitatas* roborandas, praesertim si usus *fasciarum*, quem equidem *venerabili THEDENIO* debemus, cum eo coniungatur. Caeterum, in *vulneribus* et *ulceribus vasorum lymphaticorum*, in quibus, tanquam unicum et efficacissimum remedium *B. PLENERIVS* pronuntiat, et ad *linreamina* imbibenda, quibus *venaesectiones* deligantur, valet.

40. *Aqua vegeto seu vegetabili mineralis Goulardi.*

§. 351. Rec., *Aquae destillatae simplicis* Libras duas.
Spiritus Vini Vnciam unam.
Extracti Saturni Vnciam dimidiam.
 Misceantur et serventur in *vase vitreo*.

§. 352. Divinum sane remedium est, in omnibus inflammationibus, a causis externis ortis, luxationibus, contusionibus, fracturis, oculorum variis affectibus, praesertim *ophthalmiis, ulceribus, fistulis, ad ambusta, in panaricio*, ad facilitandam *herniarum repositionem*, et in genere, ubi *repellentia* et *exsiccantia* sine damno adhiberi possunt. Pari modo conducit in *haemorrhoidibus coecis* nimis dolentibus, et ipso *sphaeelo*, ubi summo cum effectu cum *Cortice peruviano* iungitur. Vel cum *linteis* applicetur, vel satis commode cum *mica panis tritici*, ita ut *Cataplasmatis* formam induat. Perniciosam merito nominamus illorum audaciam consuetudinem, qui *Aqua* hac *gonorrhoeas virulentas* sistunt, et fero modo cum corio humano ludunt. Auferunt *gonorrhoeam*, sed loco illius *bubones* et *ipsam luem* tales pestiferi homines produciunt. Plura de *Saturninorum* abusu, quae omnia etiam de nostro *Medicamine* valent, vid. §. 288. Notari adhuc meretur, in *morbis oculorum illustr. ACRELL Medicamenta ex Viriolo, saturninis* praeferrunt.

AQVILA ALBA. vid. *Mercurius dulcis*.

ARCANVM CORALLINVM. vid. *Mercurius calcinatus ruber*.

ARCANVM DVPLICATVM. vid. *Tartarus vitriolatus*.

ARCA-

ARCANVM TARTARI. vid. *Terra foliata Tartari*.
 ARGENTVM VIVVM DEPV RATVM. vid. *Mercurius vivus depuratus*.

41. *Axungia porcina depurata.*

§. 353. *Adeps* dentis membranis, venulis et fibris, tandiu *Aqua* lavetur, donec clara et non cruenta effluat. Dein in *frustula* concisa, leni igne liquetur; parum *Aquae* si additum fuerit, tandem coletur, et ab aeris iniuria servetur.

Eodem modo *Sevum cervinum* et *vervecinum* parantur.

§. 354. Ad *Unguenta* paranda necessaria, et ubi vis conducit, ubi *pinguedine* lubricandum est. *Sevum cervinum* et *hircinum* ad *Emplastra* veniunt.

42. *Balsamum seu unguentum Arcaei.*

§. 355. Rec., *Terebinthinae*,
Resinae Elemi, ana Libram dimidiam.
 Lenissimo ignis gradu liquentur, et paulatim adde antea in alio vase liquatis,

Sevi cervini Libram dimidiam.

Olei Hyperici Vncias duas.

Tandem per *pannum* traice; massa dein perpetua trituratione cum *pistillo ligneo* instituta agitetur, donec refrigescat.

§. 356. Optimum est *digestivum* atque *vulnerarium*, quod *suppurationem* promovet, *vulnerum* atque *ulcerum sanationem* secundat. Plura vid. in ARCAEI *Tract. de recta vulnera curandi ratione. Lib. 1. p. 28.* Ad *ulcera sinuosa* iniicienda, sequenti modo a PLENCKIO *Balsamum nostrum* diluitur.

Recipe, *Balsami Arcaei*,
Vitelli Ovi, ana Vnciam dimidiam,
 Probe subactis adde
Spiritus Vini Vncias quatuor.

43. *Balsamum aromaticum.*

§. 357. Rec., *Olei Nucis moschatae expressi*, Vn-
ciam unam.

destillati Caryophyllorum,

Menthae piperitae, ana

Drachmam unam.

Succini Scrupulum unum.

Terantur in mortario lapideo et sen-
sim adde

Balsami peruviani nigri sesquidrach-
mam,

et fiat lege artis, plane vitato igne,
Balsamum.

§. 358. Cum spasmos lenit et solida roborat, praeci-
pue se hac virtute commendat abdomini illitum, in ven-
triculi flatulentia et debilitate, colica flatulenta, maxi-
meque in infantum torminibus et illis immoderatis diar-
rhoeis, quae vel ex consensu nervorum, vel debilitate fi-
brarum oriuntur. In visus imbecillitate et oculorum lip-
pitudine, utiliter *Balsamum* manibus infricatum oculis
applicatur. Pari modo etiam conducit in serosis capitis
affectibus, si temporibus illinitur. Interne non detur.

44. *Balsamum commendatoris.*

§. 359. Rec., *Florum Hyperici*, recentium parum
siccatorum Vncias decem.

Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Stent per biduum, tunc exprime et
adde

Resinae Eleni,

Mastiches,

Myrrhae electae, ana Vncias duas.

Aloës soccotrinae Drachmas duas.

Balsami peruviani nigri Vnciam
unam.

Digere per biduum et filtra.

Antea

Antea sub nomine *Balsami persici, bernensis, Wadei, Monachorum* seu *Iesuitarum*, de *Perne* clarum fuit. POMET primus huius *Balsami* descriptionem dedit in *Histoire de Drogues*.

§. 360. In *capitis laesionibus, vulneribus partium nervosarum et tendinosarum*, et in genere ubi *vulnera* statim consolidanda sunt, praecipua eius laus est, ubi ad modum B. SCHMUCKERI *Vncia dimidia cum Libra una Aquae sclopetariae Gallorum et Vnciis tribus Mellis Rosarum* miscetur. Pari modo conducit in *carie ossium, doloribus periostei, herpete et dentium doloribus, a carie et pituitosis stagnationibus ortis*, quos, si aliquot guttulae pluma exceptae *denti dolenti* impositae fuerint, lenit.

B. ROSENSTEINIVS quidem *Balsamum nostrum* etiam *interne ad vomitum sistendum et menses* pellendos in *phlegmaticis* ad guttas triginta in *Vitello Ovi* dari iubet, sed magis *frigidioris Sueciae* incolis, quam nobis prodest. Eadem quoque valent de virtute, quam ei *Vir perillustis* in *febris intermittibus* tribuit. Vid. ROSENSTEINI *Haus- und Reise-Apotheke*.

45. *Balsamum ophthalmicum*

St. Yveanum.

§. 361. Rec., *Butyri recentis non saliti* Vncias tres.
Cerae albae Vnciam dimidiam.

Liquefactis et parum refrigeratis
admisce

Mercurii calcinati rubri, subtilissime pulverati, Drachmas duas cum dimidia.

Florum Zinci Drachmam unam.

Camphorae, in Oleo ovorum solutae,
Scrupulos duos et Grana quinque.

Misceantur in *mortario lapideo* et
fiat lege artis *Balsamum*.

§. 362. BOERHAAVIUS iam in *Lib. de morb. oculor. C. V.* contra *pertinacem ophthalmiam* *Balsamum*
quod-

quoddam laudavit, quod ex *Mercurio calcinato rubro*, additis paucis *Opii Granis* compositum est. Teste quotidiana etiam experientia, *Balsamum nostrum* praestantissimum est tam in diversis *oculorum inflammationibus*, *serosis* praecipue et *venereis*, quam etiam *corneae maculis*, *coniunctivae cum ulcusculis*, cuiusve sint *indolis*, *serophulosi* e. g. vel a *miasmate venereo* ortis, ipsaque incipienti *suffusione*. Adhibendi modus hic est: tantillum eius, quantum aequat acus capitatae maioris caput, aut Granum dimidium ad integrum, infricatur oculo, bis in die, mane scilicet et vespere, haecque operatio ad sanationem usque continuatur. Notandum, haud quaquam *Balsamum* hoc conducere, quando iam *inflammatio* inter *corneae lamellas*, in *pup* vertitur. Vid. *clar. THEDENII Neue Bemerkungen 1. Th. et Eiusdem, Vnterricht für Wundärzte*. Pari modo in *ophthalmiis sanguineis* et *siccis* eius usus vitandus est.

46. *Balsamum saponis.*

§. 363. Rec., *Corporis pro Balsamo Saponis* Libram unam.

Spiritus Vini, rectificati Libras quatuor.

Digere et filtra.

§. 364. Eximium est *medicamentum resolvens*, quod simul *inflammationes* aufert. Conducit itaque in *luxationibus*, *fracturis*, *inflammationibus*, *panaritia*, *tumoribus* varii generis, ad *ambusta* et in omnibus *laesionibus*, ubi *inflammatio* auferenda et *obstructa materia* resolvenda est. Pari modo vel *Balsamum* hoc, vel eius *Corpus* in *Spiritu Serpilli* solutum, vel cum *Oleo Cornu Cervi foetido* mixtum, summum affert auxilium, si in *paralyfi* et *tabescentia membrorum*, *arthritica ariditate partium*, *tumoribus oedematosis*, praesertim eis, qui post *fracturas*, vel *fascias nimis arte constrictas*, sequuntur, et in ipsa *ankylosi* a guttis triginta ad ignem inungatur. Ei scopo etiam *Sal* quoddam *alcalinum corpori* adde-

addi, et sic vel per se, vel in *Aqua Saturni Goulardi* solutum, applicari potest, ubi tunc, praeter narratos morbos, etiam in omnibus *excoriationibus* et *peruionibus* a clar. THEDENIO l. l. c. c. laudatur.

47. *Boletus igniarius praeparatus.*

§. 365. *Boleti* superior durior, ac inferior fistulosa substantia, sollicitè cultri ope removeantur, medià tenuior pars exsiccata vero tamdiu malleo percutiatur, donec *Boletus* instar pellis rupicaprae inter digitos diduci queat.

§. 366. Sistendis haemorrhagiis externis, ubi *vasculis laevis* applicari potest, inservit. Si *arteriae vulneratae* ipsi lamellatim imponi potest, egregium *stypticum* est.

BOLVS MARTIS. vid. *Globuli martiales.*

BVTYRVV ANTIMONII. vid. *Causiticum Antimoniale.*

48. *Butyrum seu Oleum Cacao.*

§. 367. Diverso modo *Butyrum* seu *Oleum Cacao* paratur. Prima methodus haec est:

Nuclei Cacao, cortice suo liberati et minutim confracti, in *calente lapide*, vel etiam in *mola versatili*, in pulverem teruntur; hinc tunc octo circiter *Aquae* fervidae partibus diluitur, et deinde aliquamdiu in olla, aut alio vase apto coquitur. Sic sensim ad superficiem copiosa affurgit *materia oleosa, subflavo viridiuscula*, quae *cochleari* ablata ad usum servanda; immixtis *moleculis rubescentibus* liberatur, et ea propter eidem *frigida* aut *calida Aqua* reiterata vice affunditur, ubi tunc paulatim, *Sevi animalis* instar, indurefcit, albidaque redditur.

Si tali modo ex *Nucleis non tostis* paratum fuerit, *grato odore* et *dulcissimo sapore* quidem se commendat hoc *Butyrum*; minor tamen, quam per alteram mox describendam methodum, acquiritur copia: dein etiam tale *Butyrum* per *coctionem* tantum, factum, non ultra tres aut quatuor septimanas durat, cum *rancidam* facile in-

Piderit Pharmacia,

G

duc-

duerit *qualitatem*. Cum vero fieri non possit, ut hoc *Butyrum*, ad singulos, quibus eodem indigemus, casus, satis recens, sincerum et integrum habeatur aut asservari possit, demum etiam id parandi facultas satis idonea non semper detur: omnino sequens praefenda methodus, hac tamen cautela observata, ut parum modo, et quo eo facilius a *corticibus* liberentur, *nuclei* torreantur.

Nuclei scilicet tali modo *tosti*, a *corticibus liberati* et in *grandisculum pulverem* redacti, *sacco linteo* includuntur, qui *vapori aquae bullientis* tamdiu exponitur, usque dum *vapor* totum pulverem penetraverit: deinde hi *sacco inclusi Nuclei*, in *prelo* moderate calefacto, exprimuntur, donec omne *Oleum*, quod *sevi* colorem et soliditatem habet, exierit.

Libra una *Nucleorum* a *corticibus liberatorum*, largitur *Butyri* *Vacias* quatuor.

§. 368. *Acre temperat, demulcet, sicum stricturnque emollit et laxat, vias facit lubricas* et inde saepe *anodynam vim* praestat. Conducit itaque in *excoriatione, spasmo, colica spasmodica et nephritica, crispatura intestinorum, nephritide calculosa, dysuria et stranguria ab exulceratione vesicae ortis*. Porriguntur bisve terve in die, prout morbus et aegroti conditio poscunt, *Drachma dimidia, una vel duae in Lacte, vel Jusculo, vel idoneo plantarum Decocto*.

Externe sanat nuper natorum excoriationes, mammillarum et labiorum fissuras, quin et demulcet haemorrhoides coctas dolentes exulceratasque.

49. *Butyrum seu unguentum Maioranae.*

§. 369. *Rec., Herbae Maioranae recentis, Butyri recentis non saliti, ana Libram dimidiam.*

Contusa et probe mixta coquantur leni igne, donec humiditas exhalaverit; tunc exprimantur et serventur ad usum.

§. 370.

§. 370. In *narium* quae *infantes* premit *obstructione*, a *mucō viscido* orta, expetitur. Etiam *abdomini* tanquam *carminativum* illi potest.

50. *Causticum antimoniale.*

§. 371. Rec., *Antimonii crudi calcinati* Vncias octo.
Salis communis Libram unam.

Misceantur et immittantur *Retortae tubulatae vitreae* in *arenae Balneo* positae, debito igne accenso applicetur *Recipiens* satis amplum, in quo *Aquae fontanae* Vncia una infusa fuit, ut vapores eo melius coeant, et probe lutata *commisura*, sensim et minimis semper *portionibus* adde,
Acidi Vitrioli concentrati Libram dimidiam,

et tunc igne gradatim aucto instituitur *destillatio*, usque dum nihil amplius prodit.

§. 372. Potentissimum est *causticum*, quod in ponendo *gangraenae* et *cariei* limite, multum *Chirurgis* in usu est. Levissimam et circumspectam eius applicationem ope *penicilli* in *staphylomatibus*, sive sint *elevationes scleroticæ*, sive *proptoses iridis*, sive ab *inflammatione* et *debilitate corneae* orta, non solum *Viri illustres* IANIN in *Mémoires et Observ. sur l'oeil*, et RICHTERVS in *observ. chirurg.* laudant, sed ipsi etiam experientia edocti, huic rei testimonium exhibere possumus.

CAUSTICVM LVNARE. Vid. *Lapis infernalis.*

CAUTERIVM POTENTIALE. Vid. *Lapis causticus.*

51. *Ceratum labiale.*

§. 373. Rec., *Butyri recentis non saliti* Libram dimidiam.

Passularum maiorum contusarum Vncias quatuor.

Coque ad consumptionem fluidarum partium et adde

Cerae citrinae Vncias duas.

Exprime et paululum refrigeratis adde

Olei caryophyllorum destillati Guttas viginti.

Denique massa, in *capsulas papyraceas quadratae formae*, effusa frigescat.

§. 374. Ad *labiorum, narium et papillarum fissuras* adhibetur, et ad *ambusta* conducit. *Abscessuum maturitatem* etiam promovet.

52. *Ceratum saturni Goulardi.*

§. 375. Rec., *Cerae citrinae* Vncias quatuor.

Olei Nucum Juglandium Libram unam.

Solvantur *leni igne* et adde

Aquae fontanae Libram unam.

Extracti Saturni Vnciam unam.

Misceantur exactissime et fiat *Ceratum*, uti antea §. 373. descriptum.

§. 376. *Refrigerans est et discutiens*, quod congruit ad *ambusta, ulcera inflammata et serpiginosa*. Caetera vid. §. 289.

53. *Cereoli exploratorii.*

§. 377. Rec., *Cerae citrinae* Libram dimidiam.

Olei Olivarum Vnciam unam.

Haec *leni igne*, vitato *empyreumate*, liquefacta, ab igne removeantur: tunc tenuiores *lintei hollandici*, vel etiam *holoserici* panniculos, decem pollicum longitudine et duorum latitudine, leviter in *cylindros convolutos*, *massae* adhuc *fervidae, spumanti* et *bullas in superficiem ferenti* ita immerge, ut, si extraxeris, alterum latus tantum *convoluti huius lintei*, liquore obductum tinctumve reperiatur;

o—o

tur; refrigeratis pannis, singula frustula in sex partes aequales secantur, quarum unaquaque ad alteram extremitatem, pyramidatam habet figuram; super Marmor tandem frustula polita et sapone delinita, primo digitis, et dein ope corporis cuiusdam duri, e. g. vitri, convolvuntur, ut cylindrum referant, et superficiem habeant perfecte complanatam.

Massa debitam et idoneam habeat spissitudinem, et iustum caloris gradum, quando lintea ei immittuntur; quo Cereoli eo magis laeves fiant et formae exactae.

§. 378. Cereolis, vario scopo, Chirurghi utuntur: nimirum 1. ad urethram, a variis venereis affectibus angustatam, dilatandam. 2. Ad Medicamenta varia urethrae applicanda. 3. In fistularum vesicae et urethrae curatione, ad urinam per hanc viam educendam, ne per fistulam transeat. His malis potissimum dicati sunt ii, quorum formulam §, praeced. dedimus. 4. Ad carunculas urethrae auferendas. 5. Ad gonorrhoeam suppressam revocandam; cui scopo ii adhibentur, quorum formula mox sequitur; et tandem 6. Ad inflammationes urethrae mitigandas, et dolores atroces sapiendos, in quo casu ii valent, quorum descriptio, sub titulo Cereolorum mitigantium, infra dabitur. In genere vero, circa eorum applicationem, notandum est, hanc satis in his rebus exercitatum Chirurgum desiderare; diuturnam eorum applicationem facile parere urethrae debilitatem; male etiam, quos mitigantes vocamus, cum saturnini sunt, gonorrhoeae adhuc fluenti applicari.

54. Cereoli Falkii.

§. 379. Rec., Terebinthinae Drachmam unam.
Resinae Laccae pulverisatae Drachmam
dimidiam,

G 3

fuffi.

sufficienti ignis gradu liquentur, et
dein adde

Emplastrum Mercurialis Vncias duas.
Mercurii dulcis rite sublimati Drach-
mas duas.

*calcinati rubri subtilissime pulve-
rati* Scrupulos duos.

Misceantur omnia probe agitando, ne
separentur et a se discedant, et fiant
Cereoli §. 377. praescripto modo.

Vid. *clar. FALKII Lib. de morb. vener. germ.
translat. De usu vid. §. praeced.*

55. *Cereoli mitigantes Goulardi.*

§. 380. Rec., *Cerae flavae* Libras duas.

Leni igne liquatae admisce

Extracti Saturni Vnciam unam.

Misceantur continua agitatione, et,
ex hac ab igne remota massa, fiant

Cereoli uti §. 377. descripti sunt.

Sunt isti quidem *Cereoli*. qui a HAVTESIERCKIO,
LE DRAN et GOVLARDO laudantur: Vid. praec. caeteris,
*posterioris Mémoire sur les Maladies de l'urèthre, et sur
un remède spécifique pour les guérir. De usu vid. §. 378.*

56. *Chocolata medica.*

§. 381. Rec., *Fructuum Cacao* quantum placet.

Coque cum *Aquae fontanae* sufficienti
quantitate, tandiu, usque dum *cor-
tices* facile separentur. Posteaquam
ab his purgati sunt, torreantur supra
clibano, et crassiuscule contundan-
tur in mortario. Deinde in *aheno* ex
ferro fuso, unum pollicem crasso, ope
clavae itidem ex *ferro* fusae, redi-
gantur in pulverem subtilem. *Aheno*
dum *Fabae* terantur, cacabus cum
prunis supponitur, et tali modo illud
in

in caloris gradu, quem manum facile ferre potest, continuo conferretur. Massae, dum coeat, tandem forma, quae placet, detur.

§. 332. Descripsit *Chocolatam* hanc *Chymicorum patriae praecipuus clar. noster MOENCHIVS* in den *Bemerkungen über einige einfache und zusammengesetzte Arzneimitteln* et postea in der *systematischen Lehre von den Arzneimitteln*, qui etiam praesertim in priori libello pag. 75. seq. bene praerogativas depinxit, quas nostra formula prae caeteris habet. Vbi corpus sine exaestuatione blande nutriendum est, e. g. in febris lentis, virium ingenti iactura, optime convenit cum *Aqua* vel *Lacte* cocta. Cum in *phthisi* non solum quodammodo vires sustentat, sed etiam saepe intolerabilem *tussim* valde mitigat, his miserrimis aegris. et ipsi *Medico*, si etiam morbum ipsum superare nequit, tamen maximo est solamini.

57. *Cineres clavellati depurati.*

§. 383. Rec., *Cinereum clavellatorum* quantum vis.

Solvantur in

Aquae frigidae sufficienti quantitate, dein solutio filtretur et inspilletur.

Ad labores *chymicos* adhuc maiori *deputatione* indigent. In regionibus in quibus *Vinum* colitur, loco eorum *Sal Tartari* sumi potest, quod etiam purius et non cum *Salibus heterogeneis* commixtum est.

§. 384. *Sal Tartari* et *Cineres clavellati* interne dati, *acidum praedominans* destruant, abstergunt *meatum* et *vasorum mucositates*, resolvunt *obstructiones* et stimulant *se-* et *excretoria*, unde in omnibus morbis in quibus *acidum praedominans*, e. g. in *ardore ventriculi*, et *humores pituitosi tenaces* adsunt, conveniunt. Post assumpta *venena mineralia*, ad destruendum eorum *acidum causticum*, larga quantitate mature dentur. Optime exhibentur in *forma fluida*, *Liquamen* nimirum, vel uti etiam vocatur *Oleum per deliquium*. In *ardore ventriculi*, *rhachitide*, huius *Liquaminis* Drachma una, cum *Syrupi* cuiusdam *Vnciae* dimidia misceatur, et partitis et distantibus intervallis sumatur. *Venena* assumpta lar-

giorem quantitatem poscunt: in hoc casu nimirum ad integras Drachmas quavis horae quarta parte, tali quidem ratione, ut ad quamlibet *Aquae Vnciam Liquaminis* Drachma veniat, id sumi necesse est. In *rbachiride* laudat ROSENSTEINIVS Vnciam dimidiam *Cinerum*, in *Aquae fontanae* Libra solvi, et ad Guttas viginti, triginta vel centum per diem in *Aquae fontanae* hausto dare, quod experientia confirmatum invenimus. Cum *Salia alcalina* calorem sanguinis audent, sedulo cavendum, ne dentur *plethoricis, biliosis*, vel ubi *inflammationis* metus est. Si vero ad modum CROLLII et RIVERII *acido vegetabili* quodam e. g. *Aceto* seu *Succo Citri* saturantur, exurgit *Sal medium*, quod *cruda* incidit, *bilem* et *sanguinem rurgentem* temperat, *obstructiones* solvit, et varias *corporis excretiones*, praesertim *urinae* promovet. In principio omnium *februm acutarum*, in *febris intermitentibus*, ad *vomitum* sedandum, (*) in *cholera* laudatissimas haec *potio* exserit *vires*. In *obstructionibus glandularum mesenterii infantum* ex sequenti *Medicina* praecipuum vidimus effectum.

Recipe, *Cinerum clavellatorum depuratorum*, vel *Salis Tartari* Drachmam unam.

Aceti Vini boni, quantum requiritur ad saturationem.

Postea adde

Tincturae Rhei aquosae Vnciam unam.

Vini Antimonii Huxhami Drachmam unam.

In *infantibus* aliquot annorum incipiatur guttis viginti, ter in die datis.

Non parum distat ab hac RIVERII methodo propinandi modus, quem HVLMIUS et alii nostri temporis suadent. Numne *aeri fixo* maiores effectus tribuant, quam praestat, an in *phthisi pituitosa, calculo, paralyti, in fluxibus sanguinis* promovendis, tanta exferat? ulterioribus fundatis observationibus relinquimus. Modus caeterum, quo *aer* hic *fixus* in corpore producitur, sequens est.

Recipe, *Cinerum clavellatorum depuratorum*, vel *Salis Tartari* Drachmas duas.

Solvantur in

Aquae destillatae communis Libra una.

Signetur N. 1.

Deinde, Recipe, *Aquae fontanae* Libram unam.

Acidi Virrioli tenuioris Vncias duas.

M. signetur N. 2.

Primo

(*) „Huic Symptomati, (vomitui) gravissimo, in observ. RIVERII, sic, statim medetur, quasi miraculo, *Sal Absynthii*, ad Scrupulum unum in succo Limonum recentis cochlearii exhibitur, ut experientia didici.“

Primo sumitur de *solutione* signata N. 1. Vncia una, et postea statim de *Mixtura* N. 2. eadem quantitas, et hoc omni hora reiteretur.

Externe Liguamen Tartari, cutem quam optime ab omnibus impuritatibus liberat. Ad dissolvendos *rumores lacteos puerperarum*, externum *Cinerum clavellatorum* usum, laudavit LEVRETUS in *Art des Accouchem.* et a nobis et aliis comprobatus fuit. Solvantur ei scopo Drachmae duae *Cinerum clavellatorum* cum *Libra Aquae destillatae communis*, et cum hac solutione imbibantur *pauciculi ex lana confecti*, qui *mammis* applicentur.

Vt *pus* ab aliis humoribus, illud aemulantibus, dignosci possit, quod in multis morbis maximi est momenti, adhibuit clar. GRASMEYER *Liguamen Tartari*, seu uti vulgo nominatur, *Oleum Tartari per deliquium*, tali quidem ratione, ut primo *puris* unam partem cum XII. partibus *Aquae pluvialis* diluerit, et postea ei tantum *Liguaminis* instillaverit, quanta *puris* quantitas erat. Si haec rite misceantur, mixtum in *Gelatinam* abit, quae uti *Albumen Ovi* in filamenta longa diduci potest. Quo celerior haec *Gelatina* oritur, et quo densior est, eo praestantius est *pus*, et sic contra. Vid. laud. GRASMEYERI *Abhand. vom Eiter und den Mitteln ihn von allen ihm ähnlichen Feuchtheiten zu unterscheiden.*

58. *Conserva rosarum.*

§. 385. Rec., *Florum Rosarum rubrarum*, quantum vis.

Sacco linteo includantur, et per sexagesimae partis horae unius spatium, immitte *aquae bullienti*, postea contunde in *mortario lapideo, serpentino* dicto, *Pistillo ligneo*, primum per se, et deinde cum

Sacchari purissimi duplo pondere, sensim inter contundendum addendo; donec optime misceatur.

Male Saccharum Farinae ad *Conservam* parandam adhibetur, quia parum *succi Rosarum* absorbet.

§. 386. Vt plurimum, ut *Mixturae* debitam gratitudinem acquirant, et ad *Electuaria*, *Conserva nostra* adhibetur. Ob *virtutes temperantes, leniter roborantes, phthisicis* levamen parit, *stim* temperat, *calorem febri-*

lem quodammodo sopit, et congrue in *phthiſicorum diarrhoeis* aliis additur *Mixturis*. Quae AVICENNA, CARDANVS, RIVERIVS, KRUGGERVS de ea ſtatuunt, tales aegros ex eius ſolo uſu ſanatos fuiſſe, ad ſigmenta ſeculorum, in quibus hi Medici vixerunt, pertinet. *Conſervae* noſtrae doſis ut plurimum ad *Aquae* Vncias ſex, Vncia una eſt; in *Electuariis* tantum ſumitur, quantum ad eius formam ſufficit.

CORPVS PRO BALSAMO. vid. *Oleum Nucis moſchatae expreſſum*.

59. *Corpus pro Balsamo Saponis.*

§. 361. Rec., *Saponis alicantini exſiccati et pulverati* Libram dimidiam.

Admiſce contundendo in *mortario*
Olei Terebinthinae Libram dimidiam,
Vt fiat *Maſſa*.

De uſu vid. §. 364.

60. *Cremor ſeu Cryſtalli Tartari.*

§. 388. Rec., *Tartari albi crudi pulverati*, quantum vis.

Coque in ſufficienti quantitate *aquae fontanae*, donec *Tartarus* ſolutus ſit; ſolutio haec deinde ad cuticulam uſque evaporetur et coletur, ubi tunc in loco temperato poſita, ad vaſis latera, ac in fundo copioſe haerebunt *Cryſtalli*, quae effuſa *aqua* colligendae, exſiccandae et in vitro aſſervandae.

Cum in *Pharmacopoeis* noſtris, nullo modo ad tam album colorem, quem habent *Cryſtalli*, reduci poſſunt, ex *Gallia* ad nos adportantur, ubi ſicut et in *Italia*, praefertim *Venetis* ſingulari artificio albae redduntur. Vid. *Mém. de l'Acad. des Scienc. de anno 1725*. C. W. FIEDLERI opus utiliſſimum *allgem. pharm. chym. min. Wörterbuch* 1. B. p. 596. et ſeq.

§. 389.

§. 389. *Sal hoc digestivum, incidens, aperitivum, et maiori dosi laxans, summas in Medicina meretur laudes. Domat perbelle bilem, minuit calorem, corrigit putrescentes atque alealescentes humores, et promovet urinae excretionem. Conducit itaque in omnibus febribus acutis, inflammatoriis, biliosis, purridis, diarrhoeis et dysenteris, praesertim biliosis, cholera, ictero, aliis viscerum obstructionibus, alcalina acrimonia, ardore ventriculi, qui a biliosis, rancidis, pinguedinosi humoribus oritur. In dysenteria biliosa, quae anno 1781. apud nos epidemico more grassabatur, maximo cum effectu Medicamen nostrum dedimus. Vid. Nostram Anweisung, wie man sich vor der Ruhr verwahren, und in Ermanglung eines Arztes selbst heilen kann. Non satis etiam eius virtutes laudare possumus, quas nobis in illis febribus inflammatoriis praestitit, in quibus simul saburra biliosa in primis vis haeret et Venae sectionis administrationem, saltem ad aliquod tempus, differre iubet. Datur a Drachma dimidia usque ad tres, terve quaterve in die, vel omni hora, vel bihorio ad Drachmam unam, ubi tunc etiam rem optime expedit, quando vomitoria ab aliis rebus contraindicantur, et hac via saburra vitiosa ex ventriculo educi nequit. Ad Vnciam datae Crystalli nostrae, satis valide alvum purgant. Vel Elacosaccharum quoddam Crystallis additur, vel Vnciae aliquot cum Sero lactis praescribuntur, vel aliis eccoproticis adduntur. Cum difficile Crystalli nostrae in Aqua solvuntur, et tantum in Vnciis tribus Drachma earum una, (*) semper vel multa Aqua bene miscentur, quoniam tum multo actuosiores sunt, vel Cremor Tartari solubilis praescribatur, qui totus quidem solvitur; quoniam tamen in hac praeparatione Acidum Tartari cum alcalino saturatum est, proprietates eius acidae non tam insignes sunt et ideo contra putredinem et in morbis biliosis non illas valentes vires possidet, quam Crystalli purae. Caeterum praebet etiam medicamen nostrum utilissimum effectum in leucoplegmatia et in ipso hydrope, ubi vero ad minimum Vnciae dimidium dosis Crystallorum in die esto. Vid. VINC. MENGHINI in Act. Bonon. T. IV. et TROGHERVM in Gaz. salut. N. 18. anni 1762. Haemorrhoidariis, ad obstructiones alvi referandas, inordinatos sanguinis motus compescendos et ad alios eorum cruciatus, vera et secunda ancora sunt. Purgantibus resinosis additae, eorum virtutem insigniter augent. Sufficiente quantitate aquae coctae, et Melli Rosarum mixtae,*

(*) Vid. LEMERY in Mém. de l'Académ. des Scienc. a. 1728. Secundum tentamina B. SPIELMANNI in calore qui Thermometrum ad quinquagesimum scalase Fahrenheitianae gradum sustineret, Aquae destillatae Vacua, tria tantum Grana Crystallorum solvit.

mixtae, bene in *aphtis* et *stomacace* pro *gargarisnate* temperante et purificante adhibentur. In debita, scilicet minori dosi, etiam ad *Dentrificia* veniunt.

61. *Cremor Tartari Solubilis.*

§. 390. Rec., *Crystallorum Tartari* Vncias sedecim.
Boracis Venetae Vncias quatuor.

Mixta coquantur cum sufficiente quantitate *Aquae* ad perfectam solutionem, quae solutio filtrata dein leni super igne ad siccitatem usque evaporetur.

De usu vid. §. praeced.

62. *Cuprum ammoniacale.*

§. 391. Rec., *Vitrioli coerulei* Vncias duas.
Aquae fontanae bullientis Libram dimidiam.

Solve et paulatim adde *Spiritus Salis ammoniaci aquosi*, quantum satis ut *Cuprum* coeat, penitusque iterum solvatur in *liquorem cyaneum*. Postea colaturam evapora calore lenissimo ad siccitatem, dein pulverifetur et in vase bene clauso fervetur usui.

§. 392. Autoribus illustr. CVLLEN, (*) DVNCAN et aliis, qui usum internum Medicamenti huius revocaverunt, vi adstringente, roborante et antispasmodica gaudet, nervorum sensibilitatem insuper tollit. Cante mercandum est cum hoc heroico et satis infido remedio, a Grano dimidio incipiendum, sensim ascendendo usque ad quatuor. Saepe maximas et intolerabiles *cardialgias* et vomitus excitat. Laudatur in *spasmodis*, *convulsionibus*, *epilepsia*, *paralyse*, et in genere in *nervorum debilitate*. Vidimus *paralyticum*, sub miserrimis cruciatibus, dolore nimirum capitis qui os frontis occupavit, et qui nullis cedebat remediis, succumbere, et animam exspirare, eum ei a Medico Anglos satis temerarie imitante, per sex hebdoma-

(*) Ipse CVLLEN tamen diuturniorem huius remedii usum diffuadet, et noxam inde metuit. Vid. Eius mat. med. transl. in Germ. id. ab HAHNEMANNO 2, B. pag. 31.

domadas, bis in die quatuor Grana huius veneni praescripta et ingurgitata fuerunt. Optima exhibendi methodus caeterum nobis *Pilularis* videtur, cuius descriptionem tradit *illustr.* REVSS in opere eximio *Disp. universali*.

63. *Diacydonium simplex.*

§. 393. Rec., *Pulpae Cydoniorum cum Succo*, Libram unam.

Coque leni igne, cola et adde

Sacchari albi Libram unam.

Et tunc coque tandiu, usque dum *spissioris Extracti* formam acquisiverit.

§. 394. Ob *austeram aciditatem, ventriculum* roborat, sitim et aestum temperat: unde in variis *diarrhoeis* convenit, et utiliter ad aliquot Drachmas usque ad integram Vnciam et amplius datur. Ob mucilaginosam indolem insuper commode cum eo *Purgantia resinosa* dantur.

64. *Electuarium lenitivum.*

§. 395. Rec., *Pulveris Foliorum Sennae* Vncias quatuor.

Radicis Rhabarberi Vnciam unam.

Seminis Anisi Drachmas sex.

Pulpae Tamarindorum Vncias duas.

Mellis crudi Libras duas.

Misceantur et fiat lege artis *Electuarium*.

§. 396. Ab Vncia dimidia ad unam datum, *album purgat*; interdum aliquot eius Vnciae *potionibus* adduntur, quae *album leniter ducunt*; proprie vero ex *stimulanti scopo*, ab Vncia una usque ad tres, in *Clysteribus* adhibetur.

65. *Electuarium mundificans Werlbofii.*

§. 397. Rec., *Radicis Lapathi acuti* Libram dimidiam.

Rhei electi Vnciam unam.

Ligni Guaiaci Vncias duas,

Cor.

Corticis ligni Sassafras Vncias quatuor.
Foliorum Sennae Sesquiunciam.

Misceantur et fiat inde *pulvis subtilissimus*, qui in *Pharmacopoeis* asservetur, et si a *Medico Elebuarium* praescribitur:

Recipe, *Pulveris praescripti*, part. unam.
Mellis crudi, partes quatuor,
et ad quamlibet praescriptionem ex
tempore misceantur.

§. 398. Datur ad *sanguinis et humorum corruptionem pituitosam et veneream* corrigendam, in *morbis cutis, fluore albo et inquinamenti tam venereis quam scorbuticis*, a Drachmis duabus, usque ad Vnciam. Pro rerum necessitate vel *Antimonialium* vel *Mercurialium* usus cum eo iungitur: In *scabie* commode ei etiam *Flores Sulphuris* adduntur.

66. *Elixir acidum Halleri.*

§. 399. Rec., *Spiritus Vini rectificatissimi* Vnciam unam.

Sensim et guttatim instilla in vase vitreo capaciori

Acidi Vitrioli concentrati Vnciam unam, et serva ad usum.

Primo *Elixir* hoc, quod etiam *Aqua Rabelii* vocatur, DIPPELIUS in *Tract. de vitae animalis morbo et medicina* publicavit; ille vero ad unam *Acidi Vitrioli* partem, sex *Spiritus Vini* partes praescripsit, et pro seculi sui genio, *Croci* et *Granorum Kermes* portiunculam addidit.

§. 400. *Sanguinis motus* compescit, *calorem et aestum febrilem* minuit, *corruptam bilem* corrigit et domat, *putredini* resistit, et *inordinatos nervorum morus* mitigat. Utile ergo adhibetur in omnibus *febris acutis*, praesertim *biliosis, malignis*, in *febre variolarum putrida*, in *purpura*, *sanguinis eruptionibus praeter naturam ortis*, *haemoptysi* nimirum, *menstruorum* et *haemorrhoidum nimio fluxu*; pariter conducit in *nervorum morbis, spasmo, convulsionibus*, ipsoque, uti *Perillustr. Eques* a ZIMMERMANN in *Promptuar. Hannov. a. 1773. p. 311*: testatur, *chorea sancti Viti* et *epilepsia*. Valet etiam ad mitigandos *dolores podagricos, arthriticos*, praesertim si *ingens inflammatio* adest, uti et *calculosos*. Interea notandum,

tandum, non in omnibus his morbis, praesertim, qui *Nervorum systema* spectant, neque ubique, ex quorundam, qui magnum HALLERI nomen ob oculos habent, opinione, auxilium praestare, sed in connubio aliorum *Medicamentorum*, e. g. *antisepticorum* et *antispasmodicorum* tantum, laudatas vires exferere. Caeterum praecipuam meretur laudem in omnibus *efflorescentiis*, quae aestate in cute erumpunt, in omnibus *exanthematibus chronicis*, e. g. *purpura chronica*, et in ea *scabie*, quae ex praedominio *Salium alcalinorum* orta, uti eo etiam *scorburo*, ubi tales *sales* praedominantur. Pariter in *pure* ex *ulceribus* et *ostibus cariosis* in sanguinem resorpto, laudabilem *vin antisepticam* exferit; conducit etiam ad multa *febrilium symptomata* mitiganda, e. g. *cephalalgias*, *deliria* etc. Datur vel solum a Guttis decem ad viginti ex multa *Aqua*, vel in *Mixturis*; cuiuslibet Vnciae Guttæ eius viginti adduntur. Vel etiam ita cum *Syrupo* quodam porrigitur, ut ad sesquiunciam *Syrupi* Drachma eius una sumatur. Ad *scabiem* curandam et *scorbuticos*, requiritur ad minimum in die Drachma eius una, et continuatus usus. In illis, quorum ventriculus *medicamen nostrum* ferre nequit, et *cardialgiam* atque *vomitum* excitat, statim ab eius usu abstinendum est.

Externe Elixir hocce *Aqua* dilutum, in mitigandis *spasmodicis membrorum doloribus*, *confusionibus* et *fugillationibus* prodest, sed minime, uti DIPPELIVS putat, in *nodis podagricis*,

67. *Elixir aperitivum Clauderi.*

§. 401. Rec., *Cinerum clavellatorum depuratorum*,
Salis Ammoniaci, ana Vnciam unam.

Solve in

Aquae Sambuci sesquilibra,

et adde

Extracti Aloës aquosi,

Myrrhae aquosi, ana Vnciam unam.

Croci austriaci Drachmas duas.

Misceantur et digerantur per *Nychthemeron*, postea filtrentur per *chartam bibulam*, et serva ad usum.

§. 402. *Medicina* haec *saponaceae* est *indolis*; incidit, resolvit, aperit, stimulat, sanguinis circulum auget, et varias excretiones, praesertim mensium et haemorrhoidum fluxum promovet. Valet itaque, praesertim in *cachecticis*, *chloroticis*, *pituitosis*, non solum ad referandas *viscerum obstructions*,
sed

sed etiam ad tales *sanguinis eruptiones* producendas; caveat vero sibi *Medicus*, ne invita natura talia *pellentia* administret, neque in *plethoricis* nimium eorum usum suadeat. In *infantum morbis rhachiticis, atrophicis et verminosis*, uti etiam ad *acidum* in eis praedominans infringendum, excellens Medicamen est. *Infantibus ultra annum* datur a Guttis quatuor ad octo, *biennibus* usque ad duodecim, *maioribus* usque ad viginti quatuor, et *adultis* a triginta usque ad sexaginta. In maiori dosi, ad Cochlear unum nimirum: *alvum purgat*. *Iuvenibus, et sanis plethoricis*, si *Medicina sanguinem pellens* non expresse desideretur, pro *stomacho roborando Elixiria*, quae *Aloen, Myrrham, vel alia, quae calorem sanguinis au-*gent, continent, non danda sunt.

68. *Elixir Balsamicum Hoffmanni.*

§. 403. Rec., *Flavedinum corticum Aurantium ab omni albedine mundatarum* Vncias duas.

Radicis Calami aromatici Vnciam unam.

Affunde

Vini albi generosi Libras duas.

Stent per *Nychthemeron* in digestionem, postea exprime et adde

Extracti Trifolii fibrini,

Gentianae, ana Vnciam unam.

Myrrhae aquosi Drachmas duas.

Solve et filtra per chartam bibulam.

§. 404. Praestantissima est *Medicina* pro *chylificatione* secundanda et *ventriculo* roborando. Vires habet *antacidas, roborantes, carminativas et resolventes*. Conducit itaque, vel post morbos superatos, ad *appetiturum restituendum*, vel etiam, in *morbis chronicis* ipsis, ubi *inflationes ventriculi* aegrum vexant, ad *tonum ventriculi* aliquo modo conservandum; datur ergo utiliter in *dyspepsia, cacochylia, lienteria, variis diarrhoeis, hypochondriacis, haemorrhoidalibus, cachecticis* et ipsis *hydropicis affectibus*; praestat etiam verno tempore, ad usum *Seri lactis* et *Succorum ex herbis*, illud ante meridiem assumere. Exhibetur a Guttis sexaginta ad centum in *Vino*, vel alio idoneo vehiculo. Vid F HOFFMANNI *Not. ad POTER. observ. Cent. II. c. 39.* et *Eius Medic. consult. P. III.*

Dec.

Dec. 2. Caf. IX. ubi magis temperatam praefcribit formulam, quam antea dedit.

Elixir Vitrioli Mynsichti easdem vires habet, nisi quod adhuc potentius, ad *cruda* incidenda et *ventriculum* roborandum, inveniatur. Convenit etiam adhuc magis *hypochondriacis*, *hystericis* atque *arbitricis*, uti et ipsis *scorbuticis*, vel eis, qui in *mari* vitam agunt. B. TRILLERVS maximas huic *Elixirio stomachico* tribuit virtutes; quid vero de B. HAENII observationibus sentiendum sit, ubi hic Medicamen istud contra *phibisin* maxima cum euphoria dedisse statuit, nescimus. Vid. *Eius Rat. med. T. XII. c. VI. §. 5.*

69. *Elixir Vitrioli Mynsichti.*

§. 405. Rec., *Herbae Menthae piperitae*,
Salviae officinalis, ana sesqui-
unciam.

Radici Calami aromatici,
Galangae minoris,

Florum Cassiae, ana Vnciam unam.

Cardamomi minoris, Drachmas tres,

Corticum Citri Vncias duas.

Incisis contusis infunde

Spiritus Vini rectificati Vncias triginta.

Digere per triduum, tunc exprime,

filtra per *Chartam bibulam* et adde
Acidi Vitrioli tenuioris Libram dimi-
diam.

Male praecunte MYSICHTO, *Dispensatoria* quaedam iubent, per aliquod tempus digestionem solo *Acido Vitrioli* institui: hoc enim modo *partes oleosae* penitus comburentur.

Vid. MYSICHTI *Armament. Sect. XVII. De viribus* vid. §. praeced.

70. *Elixir uterinum.*

§. 406. Rec., *Croci Austriaci* Vnciam dimidiam.

Infunde

Spiritus Vini rectificati Vncias quindecim.

Digere parum, filtra et adde

Piderit Pharmacia,

H

Casto-

Castorei Russici sesquiunciam.
 Iterum digere parum, filtra et adde
Herbae Menthae piperitae,
Radice Valerianae sylvestris, ana
 sesquiunciam.
 Digere iterum leni calore, exprime,
 filtra per *chartam bibulam* et adde
Olei Menthae piperitae Drachmam
 unam.

§. 407. In affectibus hystericis, mensuum retentione atque ataxia, in morbis uteri serosis, ad partus dolores spurios sistendos, et veros, si deficiunt, excitandos, debita foetus positura, praestans Medicamen est, si a Guttis triginta usque ad sexaginta a cauto propinatur Medico.

71. *Emplastrum adhaesivum Woodstockii.*

§. 408. Rec., *Ichthyocollae finissimae minutim incisae*,
 Vnciam unam.

Resinae Benzoes,
Styracis calamitae, ana Drachmam
 unam.

Spiritus Vini rectificati Libram unam.
 Misce et solve leni digestionem in *Cucurbita vitrea* per viginti quatuor horas, quae refrigerata dein cola.
 Tunc *Holosericum nigrum* et tenue, quod tamen densioris est texturae, supra *regulam netricis* fortius extenditur. *Massa Emplastri* in *Catinum*, et hic in *Aquam ferventem* immittitur, ut gelatinosa massa diffluat. Haec nunc *penicillo* magno et molli in *Holosericum* expansum, quantum fieri potest, parcissime transferatur, idque probe antea semper siccata, ter quaterve, eo usque nimirum repetatur, donec *Holosericum speculi polituram* induerit. Hoc facto, *Emplastrum*

plastrum probe ficutum, et dein ex
regula exemtum, in *frustula* secatur.

Praescripta quantitas ad *Holosericum* trium ulnarum
obducendum sufficit. Si *gelatinosa massa* arefacta fuerit,
Spiritu frumenti mollior redditur.

§. 409. Parvis vulneribus carnosis dicatum est.

72. *Emplastrum anticolicum.*

§. 410. Rec., *Emplastri de Galbano Crocati* Vncias
quatuor.

Solve leni igne, postea

Rec., *Asae foetidae*,

Terebinthinae, ana Vnciam unam.

Solve leni igne et omnibus mixtis adde

Olei Cornu Cervi foetidi,

Menthae piperitae, ana Drach-
mam unam.

Et fiat lege artis *Emplastrum*.

§. 411. Superiori aut inferiori abdominis regioni,
in *cardialgia*, *colica flatulenta*, *indecillitate ventriculi*,
vomitu, *diarrhoeis*, *dysenteris*, *lienteria*, *fluore coeliaco*,
passionibus hysteris, *flatulentia hypochondriacorum*, tan-
quam *roborans* et *calesciens*, parum *calesactum* impo-
nitur, et tamdiu relinquitur, donec sponte decidat.

73. *Emplastrum cicutae.*

§. 412. Rec., *Succi Herbae Cicutae seu Conii macu-
lali* Libram unam.

Pulveris Herbae Cicutae Libram di-
midiam.

Leniter inspissentur in vase *figulino*,

sub perpetua agitatione, ad *pultis*

consistentiam, et tunc adde, antea

quidem leni igne liquatis,

Cerae flavae Vncias decem.

Terebinthinae Vncias quatuor.

Olei Olivarum Libram dimidiam.

Fiat lege artis *Emplastrum*.

§. 413. Potens est *resolvens*, quod ipsos *infarctus* in *hypochondriis*, si non inveterati et *macilentis* applicetur, temporis tractu, adhibitis una, quae interne iuvant *Medicaminibus*, resolvit. Sic etiam discutit omnes *tumores induratos*, praesertim *lacteos*, incipientes *scirrhus*, et interdum, uti experientia edocti sumus, ipsa *ganglia*. Tanquam praestans *anodynum* ipsi etiam *cancro* applicari quidem potest, si aegro non melius prospiciatur, ut ab omni *Emplastrorum* applicatione abstineamus. Ad *dolores in arthritide* et *podagra* mitigandos, neque hoc, neque aliud *Emplastrum anodynum*, uti quidam temere suadent, applicetur. Caeterum ad *clavos pedis* extolliendos valet.

Cum *Emplastrum nostrum*, sicut alia, *poros cutis* obstruit, ob aerem suam indolem, si diurne applicetur, saepe *pruriginem*, *vesiculas* et *erysipelas* ipsum in loco, ubi impositum, excitat: unde recte *perill. Eques L. B.* a WOLTER in *Pharmac. milit.* monet, caute eo mercandum esse; praesertim in eis, qui tenellam habent cuticulam.

74. *Emplastrum citrinum.*

§. 414. Rec., *Resinae citrinae* Libram unam.

Cerae citrinae Uncias octo.

Sevi cervini Uncias quatuor.

Terebinthinae Uncias duas.

Omnia liquando et colando fiat *Emplastrum*, quod in *capsulas quadratae formae*, quae antea *Oleo Olivarum* oblitae sunt, effunditur.

§. 415. Saniora nostrae huius aetatis *chirurgiae* principia, antiquam illam, quam in ipso olim CELSO veneramus, simplicitatem revocantia, nimium *Emplastrorum* usum, praesertim in *vulneribus*, prohibent: quapropter etiam plerumque, si omnia, quae scientia in *vulnerum curatione* praecipit, peracta sunt, in uniendis *vulnerum labiis*, *fascia* debito modo applicata, vel *sutura cruenta*, omnibus *Emplastris* omnino praefereuntur, et etiam praefereandae sunt. Quoniam vero ubi istis auxiliis locus non datur, tunc ei scopo nostrum *Emplastrum* inservit. Adhibetur quoque ad *rurundas* in *vulneribus* retinendas, uti et *aerem a vulneribus* avertendum; quod quidem etiam *Plumaceoli*, vel simplex *Cera* praestant. Caeterum *Emplastrum Citrinum* ad *ulcera* maturanda valet, et utiliter locis, ubi *Vesicatoria* applicata fuerint, vel solum, vel cum *Unguento* quodam, e. g. *Digestivo simplici*, seu *Balsamo Arcaei* ad *suppurationem* promovendam, imponitur.

75. *Emplastrum commune.*

§. 416. Rec., *Pulveris Lithargyrii* Libras duas.

Olei Olivarum Libras tres.

Coque lento igne in *lebetes metallico* sub
perpetua agitatione, sensim addendo
Aquae fontanae, quantum sufficit,
in cuius Vnciis sedecim *Aluminis cru-*
di Vncia una soluta fuerit.

Coque donec bene solutum fuerit, et
Aqua frigida instillata, massa digi-
tis non ulterius adhaereat.

§. 417. *Discutit, repellit et affluxum humorum* co-
piofiozem ab *ulceribus* arcet, sicque *exsiccat*. Vtiliter
itaque *ulceribus inflammatis*, ad *ambusia*, et *tumoribus*
calidis, quos digerit, applicatur. *Saturnina* ad poten-
tissima pertinere *repellentia*, in usu eorum probe obser-
vandum, et ideo, ubi retrogressio materiae peccantis
versus interiora metuenda est, caute eis mercandum,
vel multo magis plane fugienda esse, notari saltim
meretur. Caeterum praesens *Emplastrum* inservit
etiam ad paranda alia *Emplastra*.

76. *Emplastrum de galbano crocatum*
Mynsichti.

§. 418. Rec., *Resinae Galbani* Libram dimidiam.

Terebinthinae Vnciam unam.

Liquatis et per *pannum linteum* tra-
iectis, admisce

Emplastri de Meliloto Libram dimidiam.
antea cum

Cerae citrinae Vncia una,

sub perpetua agitatione liquatis et
probe mixtis.

Tandem adde

Croci austriaci pulverati, et cum ali-
quot guttis *Spiritus Vini* irrorati,
Drachmas sex.

H 3

Misce-

Misceantur et fiat lege artis *Emplastrum*.

§. 419. *Emollit, maturat et resolvit* egregie. Ut-
liter adhibetur ad *mammarum tumores lacteos*, quos
vel *resolvit*, vel ad *suppurationem* perducit. *Anody-*
nam etiam exferit vim, et ideo ad *sedandos dolores*, in
contusionibus et *subluxationibus* applicetur.

77. *Emplastrum gummosum.*

§. 420. Rec., *Gummi Ammoniaci*,
Resinae Galbani, ana *Vnciam unam*.
Terebinthinae *Vncias quatuor*.

Lento igne liquefactis et per *pannum*
linteum traiectis, admisce sub per-
petua agitatione,

Emplastri communis, separatim lique-
facti, *Libram unam*, ita ut fiat lege
artis *Emplastrum*.

§. 421. *Emollit, maturat et digerit abscessum* sien-
tem, iam vero facti et rupti reliquam duritiem *resolvit*
et *emollit* egregie: praesertim utile invenitur ad *tumores*
glandularum resolvendos. Praeterea valde id ipsum *ir-*
ritare et saepe inde *magnos dolores* excitare, notandum.

78. *Emplastrum de meliloto.*

§. 422. Rec., *Emplastri citrini* *sesquilibram*.
Leni igne liquefacto admisce
Pulveris Herbae Meliloti cum Floribus,
Vncias quinque.

Radicis Althaeae *Vncias duas*.
Bene mixtis porro sub perpetua tritu-
ratione adde, separatim leni igne
solutis et colatis

Gummi Ammoniaci *Vnciam unam*.
Terebinthinae *Vncias duas*.

Fiat lege artis *Emplastrum*.

§. 423. *Resolvit eximie omnes tumores*, et non re-
solvendos bene *emollit*; praecipuis ordinatur in ton-
sillam

illa-

fillarum et parotidum tumore seroso, ubi utiliter cum Camphora adhuc maritatur, Ad resolvendos inguinis adenum tumores, et ipsos testiculos recentes scirrhosos, cum Emplastro de cicuta, et Oleo Cornu Cervi foetido mixto, multas meretur laudes.

79. *Emplastrum mercuriale.*

§. 424. Rec., *Emplastri communis* Libram unam.

Liquefacto, ab igne remoto et paululum refrigerato, adde sub perpetua agitatione

Mercurii vivi Vncias tres,

qui prius cum *Terebinthinae* Vnciis tribus, in *mortario lapideo* ita mixtus est, ut nulli *globuli mercuriales* amplius appareant.

Fiat lege artis *Emplastrum.*

§. 425. Potentissime tumores induratos praesertim *venereos, scirrhosos, bubones, tophos, gummata*, et ipsa *ganglia* resolvit et discutit; conducit etiam ad *dolores illos osteocopos* mitigandos, qui a *causa venerea* orti, uti et ad *hemisramias et cephalalaeas* inveteratas. Vsum huius *Emplastri* diuturnum, etiam in *sanguinis massam* agere, et *salivationem* promovere, quae vero interpositis et reiteratis *Purgantibus* praecavetur, notum est.

80. *Emplastrum resolvens Schmuckeri.*

§. 426. Rec., *Gummi Ammoniaci* Libras tres.

Asae foetidae Libram unam.

Saponis alicantini albi concisi, Libram dimidiam.

Aceti Vini, quantum sufficit.

Coque et fiat *Emplastrum.*

§. 427. In resolvendis tumoribus induratis, *infarctibus viscerum*, ipsisque *scirrhis* maximam meretur laudem.

81. *Emplastrum saponis Barbette.*

§. 428. Rec., *Emplastri communis* sesquilibram.

Liquefacto leni igne, sub perpetua agitatione sensim admisce

Saponis alicantini exsiccati et pulverati,
Vncias quatuor.

Camphorae, in Oleo Olivarum solutae,
Vnciam dimidiam.

Deinde effunde in *capsulas chartaceas*
quadratae formae.

§. 429. Resolvit tumores frigidos, minuit hypochondriorum duritiem, et quam optime mammarum tumores lacteos, uti etiam ad resolvendas contusiones, non minus conducit. Non facile arthriticis, podagricis et rheumaticis ad sopiendos dolores, imponatur; quia ut plurimum materiam morbosam retropellit, et inde magna damna excitat. Praeterea notandum, hocce Emplastrum, non ultra duodecim horas, in eodem loco esse relinquendum, sed ab eo removendum; praesertim in tenerioribus: ne cuticulam elevant dolore cum multo. Infantibus abdomini illitum, alvum ex fecibus duris obstinatam, solvit et referat. Umbilico impostum uterum roborare, non credimus.

82. Emplastrum de spermate ceti Mynsichti.

§. 430. Rec., *Spermatis Ceti recentis* Vnciam unam.

Cerae albae Vncias duas.

Olei Olivarum Vncias quinque,

Leni igne liquefactis fiat *Emplastrum.*

§. 431. MYSICHTVS, qui primus huius Emplastri formulam dedit, mammis puerperarum post partum non lactantium, vel etiam ablactantium, impostum, et per aliquot dies gestatum, laudat tanquam optimum remedium, quod lac coagulatum seu concretum solvit, eiusque abundantiam absumit; hincque omnibus ex lacte doloribus et tumoribus opponitur. Vid. Eius Armament. Sect. XXVI. p. 520. In tumoribus mammarum durioribus tamen, in Cataplasmatibus forma resolutiva praeferenda sunt; praesertim si inflammatae sunt. Caeterum Emplastrum nostrum adhiberi potest ad sugillata, contrusa et oedemata; ubi utiliter Sale volatili Cornu Cervi, Camphora vel Croco maritatur.

83. Essentia ambrae liquida.

§. 432. Rec., *Ambrae verae griseae* Scrupulum unum.

Immittatur Phialae et lenissimo carbonum igne liquetur, et tunc affunde

Li-

Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni,
parum calefacti, Vncias duas.

Tandem adde

Moschi orientalis Grana quatuor.

Servetur in Vitro bene clauso ad usum.

§. 433. *Cerebrum nervosque roborat, spiritus languentes excitat; sed summe calida Medicina est. Praesertim convenit senibus et phlegmaticis, quibus in vertigine, ad memoriam confortandam, in paralyti et ipsa apoplexia serosa datur. Insuper emmenagogam atque aphrodisiacam habet vim: multi vero hominum, praesertim ex feminis, suaveolentia talia tolerare nequeunt. Datur a Guttis quindecim ad triginta. In gonorrhoea habituali, a Guttis quatuor usque ad decem, ASTRUC Essentiam nostram propinavit et laudat.*

84. *Essentia cardamomi.*

§. 434. Rec., *Cardamomi minoris pulverati* Vncias tres.

Affunde

Spiritus Vini rectificati Vncias quindecim.

Digere ad sufficientem extractionem, dein exprimatur et filtretur.

Eodem modo paratur ex *Radice Gentianae rubrae, Essentia Gentianae.*

§. 435. *Carminativa est; conducit in anorexia, dyspepsia, cardialgia et colica, si a frigidis causis ortae sunt; excitat etiam nervos et eis amica est. Datur, a Drachma dimidia usque ad integram, in Vino, vel alio vehiculo.*

85. *Essentia castorei.*

§. 436. Rec., *Castorei Moscovitici* Vncias tres.

Spiritus Vini rectificati Vncias quindecim.

Digere per tres dies, tunc exprime et filtra.

§. 437. *In affectibus spasmodicis et hystericis commendatissima Medicina est. Datur a Guttis viginti usque ad quadraginta, et saepe utiliter Opiatis, vel Li-*

quore anodyno minerali Hoffmanni miscetur. Etiam Clysteribus antihystericis et anticolicis ad Drachmam unam addi potest; non minus mulieribus hystericis ad odoratum praebetur. Dantur hystericæ, quæ Castorei usum non ferunt. Spasmos hystericos et vomitus inde exacerbatos vidimus, quos larga Liquoris Cornu Cervi succinati portio statim pacavit.

86. *Essentia corticum aurantium.*

§. 438. Rec., *Corticum Aurantium, ab interiori albedine mundatorum, Libram dimidiam.*

Fructuum Aurantium immaturorum tenellorum, Vncias duas.

Contusis affunde

Spiritus Vini rectificati Libras tres cum dimidia.

Digere in *Balneo Arenæ* per aliquot dies, deinde probe exprime et per chartam emporeticam filtra.

§. 439. Egregium est stomachicum et carminativum. Datur a Drachma una usque ad duas.

87. *Essentia corticis cascarillæ.*

§. 440. Rec., *Corticis Cascarillæ Vncias tres.*

Cinereum clavellatorum, vel Salis Tartari Drachmam unam.

Affunde

Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Digere ad sufficientem extractionem, et dein exprimatur et filtretur *Essentia*.

Eodem modo paratur

ex *Cortice peruviano, Essentia Corticis peruviani simplex;*

et ex *Radice Pimpinellæ albae, Essentia Pimpinellæ.*

§. 441. Conducit ad ventriculi vitia pellenda, et viscerum debilitata iterum roboranda. Eundem usum habet, et adhuc maiorem in roborando vim exserit *Essentia Corticis peruviani simplex, Essentia ex Gentiana, insigni amaritudine* adhuc

adhuc ab his differt. Dantur hae *Essentiae* a Guttis triginta ad octoginta, non solum post *morbos* superatos, ad *tonum* restituendum, sed etiam in *chylificatione* depravata, in *diarrhoeis* diuturnis, ad *flatus* in *hypochondriacis* et aliis *primarum viarum virtis* a *debilitate fibrarum* ortis, dissipandos, in *cura Seris lactis*, seu *Succorum herbarum*, quas veris tempore homines celebrant, et sub ulu *Fontium medicatorum*, ad *tonum ventriculi* conservandum. Vtiliter miscentur cum *Liquore Terrae foliatae Tartari*: quoniam tunc, ad auferendas in *vasis minimis obstructions*, et incidendas *cruditates* in *ventriculo* et *primis viis* acervatas, eo actuosiores evadunt.

88. *Essentia corticis peruviani composita* R. *Whyttii*.

§. 442. Rec., *Corticis peruviani pulverati* Vncias quatuor,

Cortic. Aurantiorum pulveratorum,
Radici Galangae pulveratae, ana sesquiunciam.

Infunde in

Spiritus Vini rectificati Libras quatuor.

Digere ad sufficientem extractionem, exprime et cola.

§. 443. Praestans *Medicamen stomachicum* est, et utiliter adhibetur in *hypochondriacis*, qui *ventriculum flatibus* distentum habent, et in *nervorum debilitate*.

Caetera liquent ex §. 441. Datur bis in die, ad Cochlear unum in *Vino* vel alio vehiculo. Vid.

R. *WHYTTII Oper. pag. 481. 484.*

89. *Essentia corticis peruviani simplex*.

Vid. §. §. 440. et 441.

90. *Essentia fuliginis Clauderi*.

§. 444. Rec., *Cinerum clavellatorum* Libram dimidiam.

Solve in

Aquae Sambuci Libris tribus.

Solutioni adde

Salis Ammoniaci Vnciam unam.

Fuliginis splendentis pulveratae Vncias duas.

Dige-

Digere in *Vitro probe clauso* per aliquot dies, et postea filtra per *chartam bibulam*.

§. 445. *Summum hoc Medicamen* praebet *resolvens*, quod *excretiones* omnis generis promovet, speciatim *urinam* pellit, *sudorem* excitat, et in promovendis *sanguinis fluoribus* efficacissimum deprehenditur. Conducit etiam ad *exanthemata* non rite, vel difficile erupta, vel retrogressa revocanda: cum insuper in *viscerum obstructionibus*, *glandularum infarctibus*, magnum affert auxilium, etiam hac via, curandis variis *chronicis morbis* ansam praebet, e. g. *asthmatis*, *febri quartanae*, *istero*, *cachexiae* etc. Datur a Guttis triginta usque ad Centum et ultra. Vid. CLAUDERVM de *Balsamatione* et CARTHEVSEI *Pharmac.* p. 341.

91. *Essentia gentianae.*

Vid. §. §. 434. et 441.

92. *Essentia myrrhae.*

§. 446. Rec., *Myrrhae electae tritae* Vncias duas.

Affunde

Spiritus Vni rectificati Vncias decem.

Digere, filtra et serva ad usum.

§. 447. *Interne data* sanguinem valde expandit, motum accelerat, et *profluvia* eius promovet, simul ad optima refertur et pertinet *balsamica*. Si *menstrua* vel *haemorrhoides* urgenda promovendae, datur quidem interdum a Guttis triginta ad sexaginta. Sed maior in alia forma, et melior *Myrrhae* usus est. *Externa* huius *Essentiae* applicatio vero celebrior est, tanquam *vulnerarium* et *balsamicum* ad *ulcera* purganda sanandae. Et haec quidem ad *partes carnosas*; altera vero, quae cum *Sale alcalino* paratur, ad *partes osseas* adhibetur. Haec etiam priori *saturatio*; ergo etiam *potentior* est.

93. *Essentia myrrhae alcalisata.*

§. 448. Rec., *Myrrhae electae tritae*, Libram dimidiam.

Irro-

Irroretur cum sufficiente quantitate
Lixivii caustici, postea affunde
Spiritus Vini rectificati Vncias viginti.
 Digere et extrahe *Essentiam*, quae fil-
 tretur.

De usu vid. §. praeced.

94. *Essentia pimpinellae.*

§. 449. Vid. §. 440. *Diaphoresin* movet, *urinam*
 pellit, *pituitosos humores* incidit, et inde praesertim ad
affectus catarrhales pituitosos, e. g. *anginam pituitosam*,
 adhibetur, a Guttis viginti usque ad sexaginta.

95. *Extractum absynthii.*

§. 450. Rec., *Herbae Absynthii* Libram unam.

Coque cum

Aquae communis Libris sex,

per horae unius spatium; deinde *Sac-*
culo linteo immittantur, et *prelo suc-*
cus exprimatur, affuso paululo *Aquae*
frigidae; neque ab hoc *Succo* expri-
 mendo prius ablineatur, quam *latex*
expressus nullum amplius habet co-
 lorem et saporem. Omnia expressa
 et mixta stent per *Nychthemeron*, ut
 spissum a claro separetur, et tunc fil-
 tra ea per *Manicam Hippocratis*, ut
 liquor clarus et pellucidus evadat.
 Postea leniori igne liquor evapore-
 tur, et si iam *Syrupi* consistentiam
 acquisiverit, in tantum ignis gradus
 minuatur, ut *lenissimus* fiat, et liquor
 non *Empyreuma* contrahat. Tandem
 vero, usque ad *Mellis spissioris* con-
 sistentiam, *Succus* inspissetur, conti-
 nua agitatione cum *Spathula lignea*.

Pari modo parantur:

ex *Herba cum Floribus Chamomillae romanae*, *Ex-*
tractum Chamomillae.

Her-

Herba Marrubii albi, Extractum Marrubii.
Herba cum Floribus Millefolii, Extractum
Millefolii.
Herba Pulsatillae nigricantis, Extractum Pul-
satillae nigricantis.
 et ex *Herba Trifolii fibrini, Extractum Trifolii*
fibrini.

Extracta tali modo parata, nullum, ut in menstruo aquoso soluta sedimentum subsidere patiuntur.

Extracta, ex quibus, vel per se, vel cum *Gummatibus*, *Pilulae* formantur, humiditatem ex aere valde attrahunt, et quidem pro diversa plantarum variarum, unde haec petuntur *Extracta*, ratione. Oritur hoc ex duplici causa, ab *empyreumate* scilicet, a quo, non obstante etiam accuratissima ignis directione, in *inspissatione*, *Extracta* aliquid participant; et a *Sale alcalino*, quod *plantis* inhaeret. Nam sicut corpora tali modo, uti in *empyreumate* fit, destructa, humiditatem ex aere attrahunt, ita haec *salia alcalina*, nunc in *Extractis* magis coangustata, quoque facile humiditatem sibi conciliare, omnibus notum est. Probe hoc ideo notetur: quia *Pharmacopoeae*, *Pilularum Massas*, ex solis *Extractis* conficere non possunt, sed tantum *pulveris* alicuius, ut *Pilularum Massam* referant, addere debent. Sic, si *Medicus* Drachinas duas *Extracti* alicuius praescripserit, aeger tantum unam fortassis accipiet, alteram autem in illo, qui ad formandam *Massam* additur, *pulvere*.

§. 451. *Extractum Absynthii* fragrantiam, quam *planta* possidet, ad plurimum amisit, dum totum *amarorem* habet; inter *amarissima* illud numerandum, quo sapore ipsam *herbam* etiam a *Vaccis* comestam, harum *lac*, sic etiam *ovium carnes* eodem modo inficere, notum est: nec non ex usu nimis diuturno et longinquo nostri *Extracti*, *lac puerperarum* instar *fellis amarum*, et infanti noxium evasisse, BORRICHIVS docuit, in *Act. Hafniens. Vol. II. p. 165.* et magnus ille *Historiae naturalis Antistes*, venerandus B. EGUES a LINNE' in *Flor. Suecic. N. 735.* confirmavit. Caeterum *stomachum* roborat, *acidum primarum viarum* infringit, *stimulat*, *humores glutinosos* meliit, et *languidos fibrarum motus* excitat. Laudem inde praecipue meretur, in *affectibus cachecti-*

hecticis, hydropicis, obstructionibus viscerum, malo hypochondriaco, contra vermes, et in bilis defectu. Moneri vero etiam, non abs re erit, id ipsum Nervis valde inimicum observari, et multis absque capitis dolore, dum hoc gravat, adhiberi non posse, quo casu gratiora amara magis profunt. Datur a Scrupulo dimidio ad integrum, vel in Pilularum forma, vel cum Liquore quodam e. g. Liquore Terrae foliatae Tartari, vel etiam Aqua quadam destillata solutum. Externe, ad vermium symptomata graviora mitiganda, applicatur.

96. *Extractum acetosellae.*

§. 452. Rec., *Herbae Acetosellae recentis Libram unam.*

In mortario ferreo contundatur, Succus exprimatur, et tunc adde

Aquae communis Libras tres.

Coque per horae unius spatium, deinde Sacculo linteo immittatur, et uti in Absynthii Extracto §. 450. dictum est, caetera fiant, nisi quod, si diversae expressiones misceantur, et ad Extracti consistentiam evaporentur, etiam his Succus ex planta antea expressus addatur, et in hoc praeparando, ignis, ne gradu excedat, probe regatur.

Pari modo paratur:

ex Herba Aconiti Napelli, Extractum Aconiti;

Herba Conii maculati, Extractum Cicutae;

Herba Daturae, Extractum Daturae;

Herba Hyoscyami nigri, Extractum Hyoscyami;

et ex Herba Lactucae virosae, Extractum Lactucae virosae.

§. 453. Quoniam in *Acetosellae Extracto*, grata amaritudo cum acido essentiali iuncta est, utiliter datur in febribus putridis, scorbuto alcalino, et in genere, ubi, cum *obstructionibus viscerum*, alcalina acrimonia combinata est. *Ventriculum* insuper perbelle roborat, et inde sub usu *Aquarum soteriarum* datur. Dosis est

est

est a Scrupulo uno usque ad Drachmam. Nullum calorem excitat.

97. *Extractum aconiti.*

§. 454. Vid. §. 452. *Extractum* hoc neque, ne noceat, nimium sit recens, neque supra anni tempus paratum, in quo enim casu iners evadit.

Ad *venenosas*, uti multa docuerunt experimenta, numeranda *plantas*; attamen *perill.* L. B. a STOERCK multa, de *salutifera* eius *virtute* narrat; *serum acre* per *sudorem, urinam* vel *alvum* eliminat, in *morbis arthriticis, doloribus ossium venereis* prodest. „Bonum, *illustr.* BERGIUS *Mat. Med.* T. I. p. 433. ait, sane effectum saepius experti sumus in *rheumatismis, febribus intermittentibus proractis cum statu leucophlegmatico, malo ischiadico, haemorrhagia uteri chronica.*” In *tumoribus scirrholosis* saepe, *Viennenses* pergunt, ipsas *Cicutae vires* superat, ipsumque *cancrum* sanat, atque *ulcera refractaria* consolidat. Non omnes hos viderunt in tanto gradu effectus laudatos, neque etiam nos; invenimus tanquam *potens resolvens*, quod vero *scientiae nostrae opprobria, scirrhum inveteratum atque carcinoma*, non raro, uti alia, intactum reliquit; ipsum *carcinoma* in peius ab eius usu verti, non absolum sonat; observatum etiam est, saepe alia *resolventia*, e. g. *Gummi Ammoniacum*, eadem et maiora, quam nostrum *Extractum* praestitisse. Laudes itaque, quas *Viennensium* et *perill.* STOERCKII *assentatores*, tam confidentes divulgant, omnino intra iustos limites restringendae sunt. Datur a Grano uno usque ad tria et sex imo octo ter quaterve in die: vel cum *Saccharo* mixtum, vel in *Pilularum forma.* *Perill.* COLLINVS illud ad Drachmam dimidiam in die dedit. Saepe *perillustr.* STOERCKIVS cum *Cicutae Extracto* miscuit, interdum etiam his *Mercurialia* addidit, unde certe *Medicina* haec actuosior redditur. Plerumque usum diuturnum per plures hebdomadas continuatum desiderat. In *cephalalgia serosa*, *Extracti* huius usum suadet B. *noster* KAEMPPIVS, in opusculo praestantissimo, *Enchiridio medico.* Plura vid. in *perill.* STOERCKII *Libello de hac planta* et COLLINI *observat.*

98. *Extractum aloes aquosum.*

§. 455. Rec., *Aloës hepaticae pulveratae* Libram unam.
Aquae fontanae frigidae Libras sex.
 Stent per aliquot dies in *vase vitreo*,
 et depositis demum faecibus, inde defu-

defuso fluido, illud leni calore evapora ad *Extracti* formam.

§. 456. *Aperit, album purgat, et eo scopo diversas Pilularum Massas* ingreditur. Cum *menfes et haemorrhoides* eo revocari possunt, notandum, crebriorem *Aloëticorum* usum ad hunc fluxum disponere. In genere, in *plethoricis* horum usus vel plane vitandus, vel tamen moderandus est. *Vermibus* etiam *Aloë* inimica est. A *Granis* quatuor ad sex incidendi scopo, *Pilulis* additur, quae in *obstructionibus, ictero, fluxibus sanguinis suppressis* conducunt. A *Granis* quindecim ad *Drachmam* dimidiam, *album purgat*, quem effectum in tenerioribus etiam praestat, quando *abdomini externe* applicatur.

99. *Extractum catholicum seu panchymagogum.*

§. 457. Rec., *Extracti Rhei* Vncias duas

Aloës aquosae Vnciam dimidiam et *Scrupulos* duos cum *Granis* octo.

Misceantur in *mortario calefacto* cum *Resinae Jalappae tritae*, *Drachmis* tribus et *Granis* duodecim.

Serva ad usum.

Extracti huius *compositi*, in quo antiquum nomen ob crebriorem *Medicorum* praescriptionem, retinimus, *Drachma* dimidia constat ex *Scrupulo* uno *Extracti Rhei*, *Granis* sex *Extracti Aloës* et *Granis* quatuor *Resinae Jalappae*.

§. 458. Satis valide ad *Drachmam* dimidiam, imo robustioribus usque ad *Drachmam* unam datum, *album purgat*, et praesertim *serosos humores* educit. In minori dosi, e. g. ad *Scrupulum* dimidium, in *infantibus seminum verminosum* destruit. Proprie vero dicatum est pro basi *Pilularum purgantium et mercurialium*.

100. *Extractum chamomillae.*

§. 459. Vid. §. 450. Laudes *Chamomillae* omnino non negligendae sunt. Gaudet insigni *virtute antispasmodica*,
Piderit Pharmacia, I dica,

dica, leniter roboranti, valet contra febres, et Corticem peruvianum Chamomillam sua contra putredinem vi superare, docuerunt experimenta perill. PRINGLE. Flores ad Vnciam dimidiam in *Electuarii* forma in die dati, in febribus intermittentibus, praemissis evacuantibus et resolventibus, semper nobis exoptatum praestiterunt effectum. Pari modo in febribus putridis, iunctis aliis antisepticis valent et consulto per totum harum febrium decursum *Infusum Florum* nostrorum copiose hauritur, praesertim si acido quodam maritatum est. Non minus convenit tale *Infusum*, in colica flatulenta, torminibus puerperarum, mensium ataxia, variis vomitus speciebus, et in genere, ubi spasmodica constrictio adest. *Extractum* nostrum Floribus ipsis, praesertim ratione virtutis anodynae et antispasmodicae, viribus inferius quidem censendum est, interim tamen tanquam bonum antisepticum et roborans, in fine febrium putridarum, variis diarrhoeis et ad stomachum roborandum valet, et a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam ter quaterve in die consulto praescribitur. Non minus in viscerum obstructionibus aliis resolventibus summa cum euphoria additur.

101. *Extractum cicutae.*

§. 460. *Extractum* probae notae est crassum, ex fusto viridescens, et ingratiissimi foetoris, quasi a muribus.

Obstructa referat, indurationes firmissimas et scirrhus solvit, et quae non resolvit, ad benignam redigit suppurationem; cancro mammaram vel aliarum partium, limites ponit, eiusque acre emendat, foetorem dispellit, et ichorem in bonum pus vertit, vel etiam cancerum vere sanat. Aliis ulceribus medetur, fistulas et sinus claudit et consolidat, visum cataracta nondum inveterata obnubilatum restituit, et incipientem cataractam vel solvit, vel progressum eius prohibet. Profuit equidem in arthritide, spina ventosa, ulceribus serpentibus, ulceribus uteri, fluore albo, in tumoribus hypochondriorum; in infantibus ad referendas indurationes glandularum mesenterii, in ictero, anasarca, rhachitide, amaurosi, tinea capitis, tussi convulsiva, a retrogressa scabie orta, ad tumores cysticos minores dissipandos et maiores emolliendos et liquandos. Conducit etiam in scrophulis et testiculis induratis. Haec sunt, quae

quae *perillustr.* STOERCKIVS, COLLINVS, QVARIN, ROSENSTEINIVS, *illustr.* LOCHERVS, PALVCCI, TARTREAVX, HALESIVS, ARMSTRONG, RVTTY, FOTHERGILL, FARR et alii de hoc *Medicamento* laudant. Alii, et quidem multi etiam sunt, qui nullam ei vim adscribunt; praeter hos etiam multi, inter quos B. HAENIVS eminet, qui damna eius usum inferre praedicant. Sic WHYTIVS, AVCTORES PHARMACIAE HELVETICAE, SCHMUCKERVS, *debilitatem nervosam, cardialgiam, synopen, vertiginem, nauseam, ructus, abdominis inflationem, membrorum tremorem et totius corporis debilitatem*, ex eius usu in quibusdam aegris observaverunt. Si verum fateri debeamus, extra dubium est, *Vienenses* quidem laude hoc remedium nimis extulisse; cum tamen egregia eius *resolventi virtus*, praesertim si ad *febrem illam artificialem* respiciamus, quam remedia talia excitare conspicitur, negari nequeat. (*) Nec dubitamus, quin idem in multis nominatis morbis saepe optimos praestet effectus; sed non tam confidenter eos neque eo certo eventu, uti *perillustr.* STOERCKIVS et eius *Affectae* docent: quoniam hic etiam pro dolor! vulgare effatum, *non semper in Medico esse, ut aeger relevetur*, pluries verum reperitur. Sunt itaque in omnibus morbis, ubi *resolvens* desideratur, iustae *Cicutae* laudes; praestat certe, quae alia possunt, et non raro maiora; sed etiam saepe intacta reliquit, quae tamen aliis cedunt remediis, e. g. *Mercurialibus*; uti ipse *perill.* STOERCKIVS passim fateri videtur. Quoniam omnino *acrem, Extractum nostrum*, naturam habet, et non ubivis *motus illi febriles*, quos excitat, salutare evadunt, sequi videtur e. g. in *carcinomate aperto* vincendo, omnino sit reiiciendum, eo magis, quoniam nulla verae observationes persuadent, in *vero cancro aperto* auxilium attulisse. Imo ex eius usu morbum hunc peiorem evasisse, confirmant ea, quae *illustr.* BERGIVS *Mar. Med. T. I. p. 195. et 96.* profert. „In *vero cancro*, ait, *Contum* adeo non boni quidquam praestat, ut potius noceat, *stillicidium materiae ichorosae* augendo, adeoque *contabescentiam* promovendo, nec non id efficiendo, ut citius *stadia* percurrat morbus, morsque sic acceleratur, prout longa et constans experientia satis superque evicit. *Nob.* PET. OF BIERKEN, qui theoriam *cancri* tam solide enucleavit, (***) plurima experimenta instituit, quibus haec thesis stabilita et extra dubium

I 2

posi-

(*) Vid. *Diss. nostram de modo, quo Venena ut Medicamenta salutaria agunt.*

(**) Tal om Kräft Skadors scrophulose och veneriska färs och svulnaders igenkännande. Stockh. 1772.

posita est. Et ne parca dosi, peccaremus, *Conium* in *Succo*, vel in *Pilulis* ad *Vnciam* dimidiam vel plus, imo ad *Vnciam* unam quotidie propinavimus, unde didicimus, pro assuetis haud opus esse, ut dosi arcti quidam ponantur limites. Idem valet etiam de *Infuso Conii*; namque vidi aegrotos, qui *Infusum Conii saturatum* ad plures *Libras*, absque incommodo, quotidie hauserunt. Interim tamen semper expedit, initio a parca incipere dosi, praesertim cum saepe fiat, ut *Conium* subiecta sensibilia valde commoveat, *vertiginem* et *debilitatem*, imo vel *coecitatem periodicam* inducendo. In *cancro scrophuloso*, in *ulceribus sordidis* et *sypiliticis* *Conium* saepe multum boni efficit, saepe etiam curam persolvit, quod subinde mihi experiri licuit." Praeterea *illustr.* BERGIVS l. c. pergit: „in *leucorrhoea*, lotiones ex *Infuso Conii* multum levant, praecipue si *usus Conii internus* iis iungatur. *Gonorrhoeas recentes* cum *Pilulis Conii* et *Infuso* insimul largiter hausto, saepissime intra mensem secure curavi; in *gonorrhoeis inveteratis* *Conium* cum *Mercurio sublimato corrosivo* coniungo. Plurimos *scabiosos* solo *Conio* sanatos vidi." Suique pretio has observationes relinquimus, nos in sanandis *gonorrhoeis* et *scabie* alia adhibemus remedia; et quanquam itidem *impotentiae virilis* curationem, quam sub usu *Conii* in viro quodam plusquam quadragenario *illustr.* BERGIVS observavit, non *Conio* adscribamus, tamen veterum figmenta, ab usu *Conii viros impotentes* fieri, clare refutat. Modus propinandi hic est: *Extractum*, addito *Pulvere* *Herbae Cicutae*, in *Pilularum formam* mutatur; initium fit plerumque a parva dosi, a *Granis* duobus bis in die, post octiduum ter de die, quae postea ita augeatur, ut *Drachma* una, sesquialtera, binae ad sex usque et ultra in die consumantur. Sumto *Medicamento*, bibitur vasculum *Infusi Theae* vel simile. Interdum utiliter *Aconiti Extracto*, vel *Mercurialibus*, vel etiam cum *Cortice peruviano* miscetur. Caeterum adhuc notandum est, *Cicutae Herbam* ad modum *perillustr.* BALDINGERI cum *Melle* in forma *Electuarii* datam, efficacior esse *Extracto*. Qui plura scire desiderat, praeter *Viennensium scripta*, adeat *perillustr.* MURRAY *incomparabile Opus de Mat. Med. et illustr.* GMELINI *doctiss. de Venenis lib.* Historiam scriptorum de *Cicuta* agentium dedit *perill.* BALDINGERVS in *neuen Magazin für Aerzte* 5. B. 2. St.

102. *Extractum corticis cascarillae.*

§. 461. Rec., *Corticis Cascarillae* Libram unam.

Incisis superinfunde

Aquae communis Libras octo.

Coque

Coque ad dimidiam partem, tunc ex-
prime et ulterius progredere uti
§. 450. dictum est.

Pari modo paratur:

ex *Cortice peruviano, Extractum Corticis peruviani*
aquosum.

Fibris Hellebori nigri, Extractum Hellebori nigri,
Radice Gentianae rubrae, Extractum Gentianae.
Radice Graminis recenti succulenta, Extractum
Graminis.

Ligno Quassiae, Extractum Quassiae.

Radice Rhabarbari, Extractum Rhabarbari.

Radice Taraxaci recenti succulenta, Extractum
Taraxaci.

et ex *Radice Valerianae sylvestris seu officinalis, Ex-*
tractum Valerianae.

§. 462. *Extractum Cascariillae* primum, in Norico
tractu natum et celebratum est, encomio I. L. APINI
Professoris quondam Altorsini. Vid. *Eius febris epidemi-*
caae historica relat. Norimb. anno 1697. edita. Roborat, re-
solvit et simul calescit; unde praesertim in morbis frigi-
dis ventriculi, intestinorum, pectoris et uteri, e. g. diar-
rhoeis nimis, dysenteris, henteris, fluore albo, gonorrhoea
benigna, et post varias haemorrhagias prodest. Datur
etiam in febris re- et intermittentibus, loco Corticis pe-
ruviani, quem vero virtute, uti multi putaverunt, non
superat; quanquam saepe aegri *Cascarillam* admittunt,
qui Corticis peruviani usum tolerare nequeunt. Exhibe-
tur *Extractum* nostrum a Granis quindecim usque ad
dimidiam Drachmam. Efficacius agit *Cascarilla*, quando
in pulvere a Scrupulo uno usque ad Drachmam dimi-
diam bis, ter, quaterve in die praescribitur, vel Corticis
Vncia cum *Aquae* Libra decoquitur.

103. *Extractum corticis peruviani*
aquosum.

§. 463. Vid. §. 460. *Libra una Corticis largi-*
tur Extracti aquosi Vncias tres, et vinosi Vncias sex.

Solutum *Extractum*, colorem ex claro fuscum habere debet.

Divinum hunc *Corticem* optimum esse *roborans*, *antisepticum*, hincque *antifebrile*, et quidem in *febris* *intermittentibus*, tam *re-* quam *irregularibus*, uti et *soporosis*; porro in *febris* *continuis remittentibus*, *putridis*, *exentrematicis malignis*, e. g. *petechialibus*, in ipsa *peste*; in *febris* *lentis*, atque in genere, ubi *putredo* vel *debilitas fibrarum* vel *neruorum* adest, e. g. post *morbos chronicos*, in *immoderatis pollutionibus nocturnis*, *tabe dorsali* etc. omni notum est *Medico*, et clare docent *viri immortales* SYDENHAMVS, RAMMAZINI, MORTON, FRID. HOFFMANNVS, WHYTIVS, TORTI, WERLHOPIVS, MONRO, HVXHAMVS, SWIETENIVS, SENAC, ROSENSTEINIVS, MEADIVS, PRINGLE, HAENIVS, TISSOTVS, *alii et quotidiana experientia*. Equidem extra dubium esse credimus et testantur *illa scientiae nostrae lumina*, pariter praestantissimum esse remedium, si in omnibus *morbis*, qui *periodum certam* *seruant*, et a *latente febre intermittente* oriuntur, e. g. in *anxietatibus*, *cordis palpitationibus*, *cephalalgis*, *tussi*, *rheumatismis*, et ad *neruorum nimiam irritabilitatem* obtundendam, sub conditionibus cuilibet *Practico* notis, exhibetur. In *phthisi ulcerosa* seu *pleumonia* quidem MEADIVS, *venerandus* TRALLESIVS, FRIBORG, CVLLEN, et ipse WERLHOPIVS usum eius damnant; sed pace horum *Virorum* dictum sit, semper non solum ex eo dato *febrem* *diminutam*, et minime *expectorationem*, uti hi *Viri* credunt, auctam vidimus, sed etiam maiorem fructum inde in hoc morbo accepimus, quam ex laudatis aliis remediis, *Musco islandico*, *Polygala amara* etc. quae nobis vel nullum, vel deteriozem effectum praestiterunt. Suademus itaque *Corticem* nostrum non solum in *phthisi pituitosa*, sed etiam cum SWIETENIO, PRINGLE, ROSENSTEINIO, HAENIO et TISSOTO in ipsa *pleumonia*, hac tamen cautione, ne detur, praesenti *inflammatione* insigniori, quia maximo iure in *febris* *inflammatoriis veris* et *exquisitis*, *Cortex* ab omnibus fere *Autoribus* atro carbone notatur. Ad *vermium fontem* eliminandum, et in *gangraena* et *sphacelo*, magna remedium nostrum facit, quanquam SHARPIVS in *gangraena sicca* inutile illud invenit, quod vero cum nostris observationibus non convenit. Quando tamen *sphacelus* ex *nimia irritatione* ortus, usus eius limitandus est. In *sphacelo senum*, qui *digitos pedis* corripit, ad mentem POTII cum *Opii Extracto* in conubio datus, certe unicum *Correx* manet remedium, a quo *inivamen* expectari potest, praesertim si pro rerum circumstantiis ei vel *Sal*
Cor-

Cornu Cervi vel *Camphora* adduntur. Praeterea maximas exferit *China* nostra vires, in morbis hystericis, affectibus hypochondriacis, convulsivis, et, praesertim praemissis evacuantibus et resolventibus, uti BRENDelius et MILLAR docent, in tussi convulsiva. Porro conducit in fluore albo et haemorrhagis, quae a debilitate summa, vel causa putrida oriuntur. In vulneribus et ulceribus, internus *Corticis* usus laudabilem suppuracionem promovet, et a gangraena partes defendit. In carcinomate non multa facit, et in febribus catarrhalibus multo magis nocet quam prodest.

Pulveris forma seu, uti vocant, in *substantia* datus, cuilibet alii praeparationis generi palmam praeripit, et si imbecillior stomachus pulverem non fert, *Infusio frigida*, et dein *Decoctio*, merito *Extracto* praeferendae sunt: quia inspissando partes aromaticae, a quibus utique magna *Corticis* laus dependet, avolant. In *infusione frigida* tantum partes *gummosae* solvuntur, et haec exhibendi ratio itaque praesertim in illis morbis, in quibus tantum *subtiliores partes balsamicae* desiderantur, e. g. in *plethisi*, omnibus aliis praefertur. In febribus *intermittentibus* caveas, ne nimis cito ad *Corticem* confugas, ut ne *febris* nimis cito, sufflaminetur; *febres soporosae* vero protinus eius usum postulant. Olim quidem Itali e. g. FRASSONVS, TORTI, circa *ineuntium febrilium paroxysmorum tempora* Medicamen nostrum dederunt, sed minus tutum hoc est, quia tali modo, uti etiam WERLHOFFVS observavit, modo tantillum *febris* sopitur, et ut plurimum sequens *paroxysmus* cum maiori vehementia erumpit. Detur itaque *Apyrexiae tempore*, non tantis autem dosibus, ut *ventriculus* gravetur, vel, uti SYDENHAMVS ait, *febris* potius supprimatur, quam sanetur. WERLHOFFII modus, quem nos etiam suademus, erat, Drachmam dimidiam *Corticis*, cum *Sacchari Granis* duodecim et *Cinnamomi Grano* dimidio misceri, et talem pulverem omni bihorio aegro exhiberi. Triginta sex talium portionum ut plurimum pro sananda *tertiana benigna* sufficiunt. Qui *Saccharum* et *Cinnamomi* odorem non tolerant, eis *Flavedo Corticis Aurantiorum* ad dimidium *Scrupulum* addi potest. Quandoque prudentis Medici est, pertinaciter insistere, et itaque praescriptam portionem usque ad integram Drachmam vel etiam quatuor *Scrupulos* augere, sed saepe etiam non minus prudens est, suo iudicio aliis modis curationem aggredi: nam utique dantur *intermittentes febres*, quae nullo modo *Cortici*, sed plane aliis remediis cedunt. Praeterea TORTI consilium probe tenendum est, qui in *tract. de febribus perniciosis* p. 202. „quo propius” ait, „*febres ad intermittentium naturam accedunt, eo facilius*

cilius *Cortice* sanantur, quo vero magis naturae appropinquant *continentium*, live *synocharum*, eo difficilius, et tanto maiori prudentia opus est." Qui *pulveris formam* fastidiunt, illis cum *Syrupo* vel *Roob* convenienti, in *Electuarium* ille redigi potest, aut etiam eis *Morsuli* illi exhibendi sunt, qui *infra* deferuntur, et praecipue eis dicati sunt, qui *Aquis foetivis* utuntur, ubi pro *Stomacho* roborando, in die unus, duo, tresve sumi possunt. Valent etiam *infantibus* contra *vermes*.

Infusio frigida, quae proximum locum iuxta pulverem tenet, ita instituat, Vnciae duae *Corticis* cum *Aquae frigidae* Libra per aliquot dies infundantur, interdum vitrum agitando et cum bacillo ligneo terendo: de quo *Infuso* omnibitri- vel quadrihorio Vncia una vel duae capiuntur. Cum *Vino* etiam *Correx* infundi potest, e. g. Libra eius dimidia cum *Vini* Libris sex; quod *Vinum* praecipue conducit post *morbos superatos*, ad tonum partium restituendum, et in *corpore debilitate universali* *Decoctum*, pro rerum circumstantiis, modo saturatius, modo tenuius paratur, ut plurimum vero Vnciae duae *Corticis* cum quatuor Libris *Aquae*, ad quartae partis remanentiam coquantur. *Decoctum* tale praecipue locum habet in *febris putridis, nervosis et morbis phibificis*, ubi vel cum *Serpentaria virginiana, Valeriana, Acido Viatrioli, Camphora*, vel *radice Salab, Extracto Graminis*, maxima cum *euphoria* combinatur *Cortex noster*.

Extractum nostrum illis solum relinquitur, qui vel aliam *Corticis* formam plane naeant, vel ubi *leniter roborandi* tantum animus sit, e. g. in *diarrhoeis, ventriculi debilitate*, sub usu *aguarum foetivarum*, ad *hypochondriacorum Symptomata* mitiganda etc. Datur etiam, in aliis morbis, *infantibus* et *teneris mulieribus*, quando aliam formam non admittunt. Dosis a *Scrupulo dimidio* usque ad *Drachmam dimidiam* est, solvitur vel *Liquore* quodam *salino* vel *Aqua destillata*, vel *Vino*, vel in *pilulari forma* exhibetur. Quoniam *vis tonica* omnino in *partibus resinosis* latere videtur, inde, cur *Extractum vinosum* adhuc potentius operari et ibi praeferrri, ubi *valentiora roborantia* indicantur, colligitur. Datur eadem quantitate, uti *aguosum*, et aliis *roborantibus* saepe unum vel alterum *Extractum* miscetur.

Maxime tandem etiam valet *Cortex*, si in *Enematibus* praescribitur, praesertim ad *affectus verminosos* sopiendos, et in *febris eorum*, semper exoptatissimum ex talibus *chyferibus* effectum consecuti fuimus. Praeterea usus eorum praecipuus indicatur, in *febris putridis et affectibus gangraenosis* ad *sphacelum* tendentibus, in quibus magna ex reiteratione eorum applicatione vidimus. Non solum in *partibus externis*

gan-

gangraena et sphacelo affectis, Fomentationes adhibentur, quae ex Corticis Decocto constant, sed etiam haec profunt in internarum partium, e. g. intestinorum gangraena, ubi abdomen tali Decocto fomentatur. In angina gangraenosa, non tantum Epithemata cum Decocto facta, adhibentur, sed etiam ope syringae gurgulioni iniiciuntur. Vel in Aqua, vel Aceto, vel Vino huius scopo Cortex coquitur, et tali Decocto ut plurimum adhuc alia remedia, e. g. Sal Ammoniacum, Sal Cornu Cervi, Camphora etc. adduntur.

104. *Extractum corticis peruviani vinosum.*

§. 464. Rec., Corticis peruviani Libram unam.
Incisis affunde
Vini rhenani, vel Gallici Libras octo.
Stent per tres dies in digestionem, tunc
exprime et ulterius progredere, uti
§. 450. dictum est.

De viribus vid. §. praeced.

105. *Extractum daturae.*

§. 465. Vid. §. 450. Extracti huius Vncia una, Salis communis et Tartari vitriolati Drachmas tres continet.

Atrium venenum narcoticum est, quod vero perillustre. STOERCKIUS, felici cum successu, in affectibus melancholicis et maniacis tentavit; quem effectum salubrem etiam alii comprobaverunt: uti neque nobis exempla defunt, ubi iuvamen in his morbis attulit. Certe usus eius summam requirit cautionem, et minima incipiendum est dosi, Grano scilicet dimidio, imo etiam quarta tantum huius ponderis parte. Nam ex usu eius, saepe gravia et periculosa oriri posse symptomata, e. g. capitis obnubilationem et gravitatem, cephalalgiam, vertiginem, sensuum torporem, dolores rheumaticos, tussim, singultum, languorem totius corporis, GREDINGIUS plurimis docuit observationibus, quae in B. LUDWIGII *Adversar. Med. pract.* leguntur, et ex quibus simul patet, non sopiens solum esse, sed insignem etiam acrimoniam continere. Quanquam ex maniacis aegris, Lipsiae una maniaci hoc remedio post recidivas sanata est, IV alii constans, et caeteri XI tem-

porarium levamen acceperunt, tamen in his morbis toties a GREDINGIO incassum, imo non saepe cum mali exasperatione adhibitum fuit. In VII aegris morbum peiorem reddidit, et III miseram mortem obierunt. In *Nosocomio Holmiensi*, *Extractum Daturae* plus praestitit, quam reliqua a *perilluistr.* STOERCKIO laudata remedia: ex XIV aegris *epilepsia* detentis, VIII perfectam sanitatem recuperarunt, V levamen acceperunt, et unicus saltem inde nil auxilii expertus est. *Clar. SIDRE'N* etiam in *Dissert. de Stramonii usu*, quatuor historias *epilepticorum* exhibet, qui ex usu *Extracti* nostri sanati fuerunt. Nobis in duobus *epilepticis*, qui omni die repetitis vicibus *paroxysmis* cruciabantur, post XIV dies tantum levamen praestitit, ut saltem tertio quartove die *paroxysmum* et hunc etiam multo leviolem habuerint. Interim a *perill.* STOERCKIO in *epilepticis* frustra et sine effectu adhibitum fuit. Caeterum de hoc *Medicamine* etiam ea valent, quae infra circa *Extractum Hyoscyami* annotavimus.

106. *Extractum gentianae.*

§. 466. Vid. §. 461. *Amarum, roborans, stomachicum, antifebrile atque anthelminticum*, valde vero etiam *calidum* est. Conducit praesertim vero in *cachexia, chlorosi, ictero, hydrope, arthritide, ventriculi vitio* a *debilitate et acido praedominanti*, ortis. Ad optima etiam refertur *antiseptica*. Datur a Granis quindecim ad Drachmam dimidiam, modo eodem, qui in aliis *Extractis* annotatus invenitur.

Cum hoc conveniunt *Extracta* ex *Taraxaco* et *Trifolio fibrino*, nisi quod non tam *calida* sint, quam *Gentianae Extractum*; magis etiam haec *viscidos humores* et *obstructiones* solvunt: unde in *ictero, hydrope, febribus intermittibus* etc. praerogativam prae *Extracto Gentianae* tuentur.

107. *Extractum graminis.*

§. 467. Vid. §. 461. Insigne est *demulcens, involvens, resolvens, et abstergens*, quod in variis morbis chronicis,

o-
li
m
In
it,
a:
a-
il-
in
um
o-
us
en
et
ill.
um
ae

cis, e. g. ictero, rheumatismo, arthritide, obstructionibus viscerum, affectibus hypochondriacis et in morbis cutaneis valet. Insuper in pectoris affectibus acrimoniam mitigat, hincque ipsis phthificis in eorum miseris solamen praebet. Datur a Drachmis duabus usque ad Vnciam in Aqua quadam solutum, vel etiam in larga tali quantitate aliis Mixturis additur.

108. *Extractum hellebori nigri.*

§. 468. Vid. §. 461. Potenter alterans, solvens, stimulan, praecipuum certissimumque emmenagogum est, quod ideo, praesertim in tenerioribus, summam poscit cautionem. Convenit in specie in statu phlegmatico, ubi non solum obstructiones solvendae, sed etiam obstructa sanguinis profluvia provocanda sunt; conducit ea ex causa etiam in morbis melancholicis, maniacis, (*) soporosis et apoplecticis. Datur a Granis tribus usque ad Grana quindecim. Quanquam, uti etiam B. ROSENSTEINIVS observavit, *Extractum* hoc omni fere purgandi virtute destitutum; tamen utiliter aliis Purgantibus, a Granis tribus usque ad quinque additur. In illis feminis, quae irritabili nervorum systemate gaudent, *Extractum* hoc vel plane vitetur, vel summa tantum adhibita cautione porrigatur: quod etiam valet in plethoricis, sanguinis summa expansione et proclivitate ad morbos inflammatorios. Vetustate *Extractum Hellebori* noxium fit. Non etiam, uti alia *Extracta*, in forma liquida praescribatur. Caeterum satis antiqui usus fuit; sed a THEOPHRASTO PARACELSO, sub *Daurae* nomine, imprimis revocatum est.

109. *Extractum hyoscyami.*

§. 469. Vid. §. 452. Ad venena narcotica pertinet, a perill. STOERCKIO vero et aliis, in morbis melancholicis, maniacis et epilepticis adhibitum fuit, et quidem, uti hi referunt, summa cum euphoria. Interim de hoc et aliis huius

(*) In duobus maniacis pulverem fibrarum Hellebori nigri, ab initio ad Scrupulum dimidium, postea usque ad Drachmam dimidiam bis in die per aliquot septimanas datum, inefficaciter adhibuimus.

huius generis remediis valet, quod §. 460. de *Cicuta* annotavimus, *Viennenses* nimirum talia remedia laude nimis extulisse. Praeterea a GREDINGIO *Extractum* nostrum atro carbone notatur. Difficile etiam est in *morbis mentis*, semper indicare quid auxilium praestitit. Vbi alia remedia nihil profuerunt, *Extractum* hocce quoque frustra dedimus. Nostrum est omnem, qui frustra adhibitis aliis remediis, in morbis talibus gravioribus, talium *Extractorum* virtutes experiri decreverit, monere, ut non nisi cum summa ea adhibeat cautione: quoniam non absona videtur opinio, GREDINGIVM liberaliori horum *Extractorum* propinandi modo, nam *Hyoscyami Extractum* usque ad binos Scrupulos in die adhibuit, ad deteriorem eorum effectum, multum contribuisse. In *haemoptysi* et *expectoratione languente*, in quibus pari modo STOERCKIVS *Hyoscyami Extractum* dedit, plane illud vitandum, neque temere imitandum est, quando hic illud ad Grana octo, quindecim, quin integrum Scrupulum praescripsit. Dari potest a Grano uno usque ad tria, quatuor, vel sex bis in die. Adhuc notandum est, quando in *maniis* nullum iuvamen a talibus *narcoticis* conspicitur, ut plurimum *furorem* eorum ab illis augeri, et itaque tunc statim ab eis desistendum esse.

IIIO. *Extractum lactucae virosae.*

§. 470. Vid. §. 452. *Vires* habet *narcoticas* et *diureticas*. *Perillustr.* COLLINVS ei maximas tribuit laudes in *viscerum obstructionibus*, *ictero* et *hydrope*. Dedit a Granis duodecim usque ad integras Drachmas, sensim dosi ascendendo, vel in *pilularum forma*, vel cum *Aqua* quadam *aromatica* solutum. Nobis deest experientia.

III. *Extractum marrubii.*

§. 471. Vid. §. 450. Praestans ad *incidendum* et *resolvendum* est, quod praecipue ad *pituitosos pectoris* et *uteri affectus* conducit. In ipsis *pulmonum abscessibus*, inter alios B. DE HAEN laudat. Datur usque ad Drachmam dimidiam.

112, *Extractum martis.*

§. 472. Rec., *Limaturae Martis depuratae* Vncias
quatuor.

Superinfunde in vase vitreo

Aceti Vini Libram unam.

Digere per tres dies, filtra et residuo
iterum adde

Aceti Vini Libram unam.

Sic digerendo, colando et de novo

Acetum ad residuum addendo, pro-
gredere usque ad perfectam *Lima-
turae* solutionem. Dein singulas so-
lutiones misce et coque in *vase fer-
reo*, sub perpetua cum spathula agi-
tatione, et lento igne, usque ad *Mel-
lis* consistentiam.

§. 473. Inter praestantissima numerandum est *tonica*,
atque *aperientia*: quod vero *ventriculi vires* non valde di-
minutas, et, sub usu, frequentiore motum desiderat. In
chlorosi et *mensium defectu*, si *laxitas fibrarum* et *languidus*
humorum motus in causis sint, excellens remedium est.
Pari modo, in variis *ventris fluoribus*, si *fibrae roborandae*
sint, usi et in *febris intermittentibus*, praesertim *quarta-
nis*, quae non raro soli *Cortici* non cedunt, summam lau-
dem meretur. Conducit etiam in *obstructionibus infimi*
ventris, quas saepe prae aliis remediis solvit, praesertim,
si aliis debitis *Medicamentis* iungatur; utiliter inde adhi-
betur in variis *cachexiae speciebus*, in *malo hypochondriaco*,
in *ictero*, et ipsa *rhachitide*. Non minus etiam valet in
infantibus verminosis. In *plethoricis* cautio summa adhi-
benda, et, non nisi praemissa *venae sectione* adhibendum.
Datur in *pilularum forma*, a Granis octo usque ad Scr-
pulum unum. Saepe cum *Cortice peruviano* bene misce-
tur; ut plurimum etiam recte ei *aroma* quoddam additur.
In *affectibus uteri pituitosis*, mixtio nostri cum *Hellebori*
Extracto, placet. Praeterea inservit *Extractum* hoc, ad
parandos *Globulos martiales*, et conficiendam *Martis*
Tinctu-

Tincturam. *Martialia* non danda sunt *phthificis*, *scirrhe affectis*, *biliosis*, et qui *fibram* habent *rigidam*. Sub eorum usu etiam abstinendum est ab *alcalinis* et *acidis fossilibus*.

113. *Extractum millefolii.*

§. 474. Vid. §. 450. Praestans *tonicum* est, quod simul *spasmus* insigniter lenit, et in diversis *haemorrhagiarum* speciebus, e. g. nimio *haemorrhoidum fluxu*, *menorrhagia*, *haemoptysi* conducit. In *doloribus post partum*, ad *spasmus* leniendos; in *ventriculi flatulentia* et *malo hypochondriaco*, bonum auxilium praestat; praesertim, si cum *Chamomillae Extracto* iungitur. Valet etiam in iis, qui *pollutionibus nocturnis*, nimium vexantur. Dantur a Granis quindecim usque ad Drachmam dimidiam. *Extracto* praestantior est *Succus ex recenti Herba expressus*. Valet etiam magnopere *Infusum Herbae*, praesertim in *menstruo* et *haemorrhoidum* abundantia et *affectibus spasmodicis*.

114. *Extractum myrrhae.*

§. 475. Rec., *Myrrhae rubrae*, *grosso modo pulveratae*, Libram dimidiam.

Solve in

Aquae communis fervidae Libris tribus.

Stent per biduum, et tunc inspissetur

Liquor ad Extracti consistentiam.

§. 476. Praestans *Medicina balsamica* est, quae praesertim in *glutine spontaneo* et *inerti fibra* convenit; *roborat*, *resolvit*, *sanguinis circulum auget*, *profluvia eius pellit*, et optimis accensetur *antisepticis* atque *anthelminthicis*. Conducit ideo praesertim, ad *morbos uteri pituitosos*; ad *profluvia sanguinis* pellenda, si a *lentore in fluidis* intercepta sunt; ad *pituitam in ventriculo haerentem* incidendam atque hunc simul *roborandum*; ad *obstructiones viscerum* in *haemorrhoidariis* et *hypochondriacis* referendas. Datur, vel in *pilularum forma*, a Granis quindecim ad Scrupulum unum; vel *Extracti* huius Drachma una cum *Sacchari albi* Vncia dimidia, pro quatuor vel sex dosibus miscetur: quod gratum *Medicamentum* recte F. HOFFMANNVS

in

in *Medic. System.* laudat. In morbis *phthificis*, *Myrrhae* usus vel plane vitandus, vel tamen valde moderandus est.

115. *Extractum nucum iuglandium.*

§. 477. Rec., *Fructuum Juglandium immaturorum*
Libram unam.

Coque cum

Aquae fontanae Libris quatuor,

et dein ulterius progredere uti §. 450.
dictum est.

§. 478. *Extractum* hoc saporem habet *acrem, amaricantem* et quodammodo *aromaticum*. Praestantissimum *roborans* est, quod ubique conducit, ubi alia *roborantia* iam laudavimus. Praesertim ad *lumbricos* necandos adhibetur: cui quidem scopo, *Extracti* Drachmae duae in Vncia una *Aquae florum Cassiae* solvuntur. De hoc *Liquore*, ab initio *infantibus biennibus vel triennibus*, Guttae viginti vel triginta dantur, dein quadraginta et ultra pro cuiusvis aetate. Subiungitur sub usu, decrefcentis lunae tempore, postquam sex vel octo dies usus continuatus est, *Purgans* quoddam. *Aqua* cum qua *Fructus* cocti fuerunt, in terram effusa, necat in ea omnes *vermes*. Plura vid. in *clar. FISCHERI Comment. de vermibus in H. C. et anthelminthicis p. 14. seq.*

116. *Extractum opii.*

§. 479. Rec., *Opium orientalis optimi* Vncias quatuor.

In frustula minutim scissum in *cucurbita vitrea* solve in

Vini albi Libris quatuor.

Solutionem filtra et lenissimo ignis gradu ad *Extracti* formam inspissa.

§. 480. *Opium* calidae et acris esse naturae, quod praeter vim suam *anodynam et narcoticam*, *cordis et arteriarum motus* accelerat, et itaque *circulum sanguinis* auget; extra dubium positum credimus, et inter alios, venerandus TRALESIUS in *Opere eximio et sui generis unico de hoc Medicamento* clare docuit. Patet inde, correctiones *aromatibus* factas, cum hae a *falsa veterum opinione, Opium esse frigidae naturae*, ortae, omnino reiiciendas esse: neque praeterea,
cum

cum *partes volatiles*, quibus tamen eius, quam agendi virtutem praestat, adscribendam putamus, ab *acidis* quasi destruentur, etiam his corrigi *Opium*, nobis persuademus, sed recte, si praescribatur, *Extractum* nostra hac methodo parari et adhiberi credimus; quod ab omnibus impuritatibus liberatum est, verum sine virium castratione.

Opium interne sumtum, in plerisque agit uti *spirituosa*; *nervos* etenim *consopit*, illosque ad *irritationem* insensuales reddit, *sensum* sic *doloris* tollit et *animum* *exhilarat*; praeterea *evacuaciones* restringit, *sudorem* subleuat, *siccitatem* *oris* inducit, *stuporem* excitat, facit *dormire* cum *rubore* *faciei*, subsequente *lassitudine*, *gravitate* *capitis*, et *siccitate* *fauicium*; *pulsam* retardat et plenioram facit, quamdiu eius actio durat; relinquitur autem *pulsus debilis* cum *tristitia* postea. *Externe cuti* applicatum, agit *stimulando* et simul *sopiendo*. Si diutius *supra curen* manet, *rubedinem* vel *vesiculas* excitat, ubi nimirum *cutis* tenera est et *Opium* recens. *Dolorem* sedat, si loco dolenti imponitur, sed *somnum* simul inducit, quod nec *prisci aevi Medicis* ignotum fuit, siquidem *Dioscorides* *Suppositoria* ex *Opio* *dormire* fecisse observavit. *Opium* ei sua *narcotica*, omne *spasmodorum* genus certissime tollit, *dolores* sopit, et *nervorum irritabilitatem* infringit. Praescribitur ergo in genere, ubi *nervorum systema* motum est, in *hyperemesibus* et *catharsibus*, *diarrhoeis* nimis, *tenesmo*, *cholera*, si antea *materia irritans* probe evacuata est. In *dysenteris*, praesertim *biliofis* et *inflammatoriis*, usus eius vel cautus vel nullus sit. Ab initio quidem *dolores* sopit, postea vero oriuntur *dolores colici* graviores, *febris* auctior, maior *tenesmus* et *alvi obstructions*, ubi tunc *humores acres purridi* in corpore remanent, et effectum *evacuantium* valde retardat. Detur itaque eo tantum tempore, quando *dolores* et *febris* plane cessant, et ex *debilitate* tantum *intestina* adhuc nimis *irritabilia* sunt, et inde *tenesmus* excitatur. Exhibetur tunc etiam commode in *Enematibus* a *Granis* duobus usque ad tria. In *cholera* *Swietenius* duo vel tria *Grana Opii*, in *Aquae destillatae* *Vnciis* quatuor solvi, et cochleatim, donec turbac sedentur, exhiberi iubet. Prodest etiam *Opium* in *spasmodis hysteris*, *hypochondriacis*, *doloribus calculosis*, *nephriticis*, *colicis*, *tussi spasmodica*, si antea *tenax pituita* educta fuerit, et ad *fluores sanguinis* nimios sistendos, si *spasmi* eos concomitentur, et iam *pulsus magnitudo* minuta observetur. Praesertim etiam valet in *tussi* illa *ritillatoria*, quae hora somni vesperti redit, et *phrbsi* obnoxiiis praecipue familiaris est. In *trismo* seu *terano maxillae* largus *Opii* usus in connubio cum *Mercurialibus*, unicum fere remedium est, a quo salus exspectan-

rebelliori anam praebet. „Fuere,” *illustr.* BERGIUS *Mat. Med. T. I. p. 459.* ait, „qui Maniam Opio curare tentarunt, siquidem largas Opii doses communiter maniaci ferunt; sed eventu ut plurimum sinistro, et nullam curam perfectam in eo casu ex Opii usu pervenisse novi.” Reicit inde etiam plane eius usum in talibus morbis *illustr.* CVLLEN. Equidem in februm vigiliis caute eis mercandum, in plurimis casibus, plane Opiata vitanda sunt; quod etiam in cephalalgis valet. In phthisi quidem tussim tolerabiliorem reddunt, blandum somnum conciliant, et diarrhoeas sistunt, sed quoniam eorum usu obstructions et inflammationes in pulmonibus, uti et febris augentur, non nimis in eo liberales simus. In sphacelo senum, qui digitos pedis corripit, POTTIVS ad Grana tria intra nycthemeron Extractum nostrum summo cum effectu dedit, quod alii et nos experientia salubre invenimus. Vid. etiam §. 463. Quae tandem de Opii virtute antisiphilitica in *Medical communications*, seu uti in translatione germanica titulus audit, *den medic. Beyträgen zur Ausbreitung medic. Kenntnisse 1. T.* leguntur, non in omnibus conveniunt cum relationibus eorum, qui testes oculari harum observationum fuerunt: plurimi aegrotorum enim simul acceperunt *Mercurialia*. Vid. etiam *illustr.* SCHWEDIAVER *aureum opusculum*, cuius titulus in *Germanica versione* audit *Beobachtungen über hartnäckige venerische Zufälle*, qui *Cap. 16. pag. 254 et 255.* et *Cap. 17. p. 271.* ex observationibus Londini in *Nosocomio St. Thomae* factis, quoque inefficaciam Opii in his affectibus docet. Insuper adhuc nuper *illustr.* ARNEMANN in *Analectis quibusdam de morbo venereo* nobis retulit, quod tam Londini quam Edini nulla amplius tentamina cum hoc medicamento in talibus morbis suscipiantur, quia tanquam summe frustranea in universa Insula nunc declarantur. Sic quoque *illustr.* CVLLEN et HAHNEMANNVS hanc Opii virtutem negant. Ipsi in aegrotis siphiliticis vidimus largum et continuatum administrari Opii usum, nam ultra Libram in XVIII mensium spatio sumserat, sed citra ullum effectum. *Mercurius* certe primus et maximus manet horum morborum Domitor!

Datur *Extractum Opii* a Grano dimidio ad duo, adulto et non assueto; continuato usu, a consueta dosi aegri nullum levamen experiuntur: unde semper augenda est. Videndum autem, ne liberaliori et continuato eius usu clanculum machina nostra destruat: appetitus enim ex Opii abusu depravatur, corpus emaciatur, sequuntur languor, melancholia, stupor, somnolentia, memoriae abolitio, senium praecox, mors praematura.

Externe quidem dentium dolores sopit, sed etiam modo non excedatur, sicut methodus, quod infantibus ad somnum

con-

conciliandum datur, plane improbanda est. Cum *causticis* mixtum, *doloris* illius sensum, quem haec excitant, valde mitigat. *Purgantium* cum *Opiatis* miscela, rationi quidem contraria videtur, laudatur tamen a multis, et SYDENHAMVS post omnes *purgantium* et *vomitiorum* motus, *Opiatum* exhibuit. Post *operationes chirurgicas insigniores* institutas, consulto *Opiatum* aegro porrigitur, quod etiam CVLLEN suadet. Qui plura scire desiderat, adeat *immortalis TRALLESII Opus limatissimum et elegantissimum de Opii usu salubri et noxio*. Legi etiam meretur *Collegae nostri coniunctissimi clar. GRANDIDIER Diss. de Opii abusu*, ubi et *perillustr. noster BALDINGERVS* „nunquam,” ait, „ego manu adeo liberali *Opium* exhibui, quam quidem seculi huius Medici permulti, et ut verum fatear, eam ob causam rarissime exhibui, cum nulla materies morbida in universa pathologia mihi cognita, quam *Opium* corrigere, emendare valeat.”

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM. vid. N. 99.

117. *Extractum pulsatillae nigricantis.*

§. 481. Vid. §. 450. Praecipue a *perillustr. L. B. a STOERCK* in *oculorum morbis, glaucomate, corneae maculis, pterygiis* et ipsa *Gutta serena felici* cum successu *Extractum* nostrum adhibitum fuit, quod etiam *clar. MOHRENHEIM* et *HOTZIVS* confirmant. Eximium est *stimulans et resolvens*, quod et *urinae excretionem* promovet. Datur a Granis duobus usque ad sex in die. *Viri illustres BERGIUS, SCHMUCKERVS* et *RICHTERVS* nullum ex eius usu viderunt effectum. Vid. *illustr. RICHTERI Chir. Bibliothek, 6. B.*

118. *Extractum quassiae.*

§. 482. Vid. §. 461. Libra una *ligni Quassiae tantum Extracti* Vnciam unam porrigit.

„*Quassiae* usus in *Surinamo* invaluit per viginti et quod excurrit, annos, ut testatur *clar. P. FERMIN*, et in *Suecia* paulo post invaluit, postquam *clar. D. ROLANDER* e *Surinamo* redux, *Holmiam* anno 1756 appulisset. Ille a *servo nigrita surinamensi* nomine *Quassi*, vel fortasse potius, ut *clar. FERMIN* illum appellat, *Coissi*, de virtute huius ligni edoctus, eiusdem specimina secum attulit. Anno 1761 *clar. C. G. DAHLBERG, Subchiliarcha, e Surinamo profectus, Lignum* hoc et *fructificationem arboris illustr. a LINNE* obtulit, qui non ita multo post, anno nempe 1763. in *Diss. acad.*

illud descripsit et usum medicum comprobavit." Haec sunt, quae de praestantissimi nostri Medicamenti historia, *illustr.* BERGIVS l. c. p. 354. profert. Certe ad optima pertinet *amara, stomachica et anthelminthica. Ventriculi vitia* quam optime emendat, *bilis inertiam* corrigit, *pituitam* incidit, *obstructiones* reserat, *fibras* roborat, *urinae excretionem* promovet, et *vermibus* contrarium est. Datur ergo in *dyspepsia, anorexia, lienteria, variis diarrhoeis, cachexia, ictero, affectibus leucoplegmaticis et hydropicis*. Pari modo maxime valet in *febris intermittentibus* ad roborandas *fibras*, post *febres biliosas et putridas*, in *phthisi pituitosa* et ipsa *ulcerosa*, ubi *saltim corruptioni humorum* resistit. Non minus prodest *arthritis* et *hypochondriacis*. Cum nullum insignem *calorem* excitat, etiam *pleuriticis* dari potest. Dosis est a Granis quindecim usque ad integram Drachmam, in *Pilularum* vel *Elixirii* forma, vel etiam cum *Vino* solutum. Decoqui etiam *Lignum* potest cum *Aqua*, et tale *Decoctum* ad tres quatuorve Uncias aeger in die capiat. Sed ad Unciam unam *Ligni* requiruntur ad minimum *Librae octo Aquae*, quae usque ad octavae partis remanentiam coquantur. Vid. *clar.* I. FARLEY in *Phil. Transact.* V. 58, qui potissimum *Quassiae vires antarthriticas* demonstrat. Vid. etiam praeter alias *Dissertationes*, eam, quae *clar.* PAARMANNVS *Argentor.* edidit, et WITWERVS in *Collect.* recudi curavit. Continet haec etiam *observationes* B. SCHRADERI et SCHLEGERI, quas hi, dum vixerunt *patriae Medici praestantissimi*, in *novellis Cassellanis* primo publicaverunt. In quibusdam aegris *Quassia* *oppressiones pectoris* excitat.

119. *Extractum rhabarbari seu rhei.*

§. 483. Vid. §. 461. *Clementer alvum* laxat, *bilem vitiosam* corrigit, *aperit et roborat*. Convenit ergo praesertim in *alvi fluxibus, ictero, viscerum abdominalium obstructionibus*. *Urinam* etiam promovet et *colore citreo* tingit. Datur a *Scrupulo uno* usque ad *Drachmam unam*. Inservit pro basi *Pilularum*, in quibus *fortiora stimulantia* fugimus.

120. *Extractum saturni.*

§. 484. Rec., *Aceti Saturni* quantum vis.

Evapora leni igne ad consistentiam *temuioris Mellis*.

§. 485.

§. 485. Quod internum usum attinet, quando nimirum e. g. in *gonorrhoeis, pollutionibus, affectibus phthisicis*, temere laudatur, eum valde improbamus, cum dirissimum semper *venenum* maneat. *Externe* eadem praestat, quae de *Aceto Saturni* §. 288. laudavimus.

121. *Extractum taraxaci.*

Vid. §. §. 461. et 466.

122. *Extractum trifolii fibrini.*

Vid. §. §. 450. et 466.

123. *Extractum valerianae.*

§. 486. Vid. §. 461. *Aquosum* nostrum *Extractum*, pro inertī quidem a multis praedicatur; oritur vero hoc, quando ad parandum illud *Valeriana dioica* et non *officinalis Linnaei* sumitur; de qua posteriori omnino *Extractum* efficax accipitur, uti quilibet experiri potest.

Multa praestat certe Medicamen nostrum ad sopiendam nimiam *nervorum sensibilitatem, spasmos siltendos et obstructions* referandas. Laudant igitur *Valerianam* maximo iure HALLERVS, TISSOTVS, BRISBANE, BRADLEY, FORDYCE, STRANDBERG et alii in *affectibus hystericis*, praecipue *clavo hystericō, hemicrania*, in qua B. FORDYCE ei specificas tribuit virtutes, *chorea St. Viti, epilepsia*, aliis *spasmodum* speciebus, et *visus debilitate*. Interim fatendum est, tunc tantum in *epilepticis, radicem* hanc valere, quando vel a *vermibus* morbus oritur, *anthelmintica* enim *radix* nostra virtute gaudet, vel sedes morbi in *nervis nimis irritabilibus* est, absque causa fixa. Non ergo TISSOTI effato describimus, qui eam *epilepsiam*, in qua *Valeriana* incāssum adhibita fuit, pro insanabili pronuntiat. Adhuc etiam *vires* eius, quas contra *putredinem* exserit, laudandae veniunt, unde nobis ad mentem *venerab. CVLLEN* solemne est, in *febribus putridis*, praemissis praemittendis, larga manu eam exhibere, et hoc, semper magno cum successu. Optima propinandi eam methodus est, quando in *pulvere*, seu uti vocant, in *substantia* praescribamus: *Extractum* enim omnino multum ea ex causa inferius censendum est, quia *coctione et inspissatione partes volatiles*, quibus *Valeriana* dives est, avolant. Datur praeterea, quando effectum ab ea expectabimus, largiori portione, ter quaterve nimirum in die ad Drachmam dimidiam, imo Scrupulos duos. Qui *pulverem* non ferunt, eis *Vncia* dimidia vel una cum *Aquae fervidae*

Vncii octo *infunditur* per horae spatium, quia *coctione*, uti iam notatum est, multae *partium volatiliam* avolant. *Extractum* datur a Scrupulo uno usque ad Drachmam dimidiam. Saepe *Valeriana* cum *Opiatis* bene combinatur, et quando anxietatem aegris excitat, quod vero nunquam observavimus, sicut neque *vomitoriam* neque *laxantem* vidimus, *aroma* quoddam ei additur. Ingratus *Valerianae* odor, quodammodo corrigitur, si *Macis* ei adiungitur.

124. *Fel tauri inspissatum.*

§. 487. Rec., *Fellis Tauri recentis*, quantum vis.

Evaporetur in concha vitrea in *Balneo arenae* ad *Extracti* consistentiam.

§. 488. Virtutes ei insunt *saponaceae*, *abstergentes*, *resolventes*, leniter *roborantes*, *anthelminthicae*, et *acidum* in *ventriculo* praedominans *infringentes*. Exhibetur in *bilis defectu* et eius *inertia*, *obstructionibus viscerum*, *ictero*, *ventriculi debilitate*, *ructibus acidis*, et ad *vermes* expellendos, in quo casu utiliter cum *Ialappa* coniungitur. Detur vero *absenti omni febre*, et in genere, quanquam *immortalis* BOERHAAVIVS maximis encomiis *Fellis usum internum* extollit, tamen nobis *Extracta amara resolventia* ex regno *vegetabili* magis placent. Si detur *interne*, dosis Drachma una et altera in die est. *Externe* quoque in *affectionibus verminosis abdomini* illini potest. *Fel Tauri* *Aqua* dilutum B. PLENKIVS ad *Corneae maculas* delendas, felici cum eventu adhibuit.

125. *Flores seu sal essentielle Benzoës.*

§. 489. Rec., *Resinae Benzoës pulveratae* Libram unam.

Salis alcalini fixi depurati Vncias tres. Immittantur ollae terreae, eisque *superfundantur*

Aquae communis Librae sex.

Coquantur per aliquod tempus, quo facto, liquor *filtretur*, et residuum iterum, sed sine nova additione *Salis alcalini*, coque cum

Aquae communis Libris sex.

Omnia

Omnia filtrata dein evapora ad remanentiam circiter Librarum quatuor. Huic saturato Decocto postea guttatim insilla usque ad perfectam saturationem

Acidum vitrioli tenue.

Post plenariam saturationem et separationem Salis Benzoës, filtrentur omnia per chartam Aqua madidam, et copiosa Aqua magna hoc aliquoties elixivetur, ut ab omnibus peregrinis ei adhaerentibus partibus salinis depuretur. Denique Benzoë vitro capaci inditum coquatur cum sufficienti Aquae copia; filtretur et ad crystallisationem reponatur, quo pulcherrimae crystalli argenteae oriuntur. Post plenariam refrigerationem evaporetur reliquum fluidum in Balneo arenae, ad Benzoë in eo contentum, in crystallos redigendum.

Tali praescripto modo, quem clar. SCHEELE docuit et GOETLINGIVS emendavit, acquiruntur ex Libra Resinae Benzoës Drachmae XVI-XVII. Flores postremi decocti tantum ad suffimigia inserviunt.

Ad parandos flores eligatur Resina optima et purissima, quae cognoscitur ex colore pellucido et intermixtis granulis albicantibus et pellucidis.

§. 490. Virtute gaudent; stimulant, resolventi, nervina, balsamica et diaphoretica. Praesertim conducunt in pectoris affectibus pituitosis, asthmae pituitoso, catarrho suffocativo, et in genere ubi respiratio ob accumulatos humores tenaces pituitosos laesa est et difficilis. (*) Maximi eos facit perillustr. Consiliarius intimus et Archiater Moguntiacus HOFMANNVS, Vir acumine non satis laudando et describendo praeditus. Dantur omni bi- vel tri-

K 4

horio

(*) Inefficaces invenit tamen illos illustr. CVLLEN.

horio a Granis duobus usque ad sex et octo, vel cum *Saccharo*, vel quod melius est in *Emulsione* seu ex *Ovo sorbili*. Externe ad *Cosmetica* pertinent et *Sternutatoria*.

126. *Flores sulphuris.*

§. 491. Rec., *Sulphuris citrini*,

Arenae lotae, ana quantum vis.

Misceantur et coniiciantur in *Cucurbitam vitream*, superimposito *Alembico*, cuius *rostrum*, ad avertendum aeris accessum, bene et arcte obturatum fuerit. Deinde convenienti *ignis* gradu sublimentur, superimpositis *vasis sublimatoriis* duobus tribusve; ubi observandum, ut, remoto priori, alterum subito imponatur, et sic labor continetur, donec *Florum* sufficientis copia collecta fuerit. Finita *sublimatione*, *pulvis flavi coloris tenerimus*, ex *Alembico* penna anserina abstergatur, usuique servetur.

Pharmacopolae Flores Sulphuris non ipsi parant, sed *puros* et *viliori pretio* emunt. Ei, qui ex *Batavia* veniunt, repetitis vicibus *Aqua fervida* abluantur, quia in superficie ut plurimum *Acidum liberum* possident, et *Mi-nera* ex qua parantur, saepe *arsenicalibus partibus* scatet.

§. 492. Ex *foetore*, quem *feces atvinae* et *sudor* ab assumpto *Sulphure* induunt, luculenter apparet, omnino illud ab *humoribus nostris* solvi posse. Post *incomparabilis SANCTORII* observata et experimenta circa *transpirationem nostram insensibilem*, ubi omnem *morborum fomitem* etiam per has vias expellendum esse, *Medici* crediderunt, certe *nimio Sulphuris* usu nocuerunt. Attamen *methodo medendi temperationi stabilita*, verae *Sulphuris* laudes, quoque a multis *nimis neglectae* sunt et negliguntur. *Interne* datum *sanguinem* expandit, *circulum* eius auget, *mucum tenacem* incidit, *sudorem* movet, *sanguinis profusiva* pellit, *exanthematum eruptionem* secundat, *flaturum exitum* faciliat, *obstructiones serosas* solvit et ad optima pertinet *anthelminthica*. Dantur ergo *Flores nostri*, in omnibus morbis illis, qui a recentis

litis

fitis causis oriuntur, quas prudens eorum usus aufert. Praesertim vero conducunt, ad *scabiei* aliorumque *exanthematum chronicorum eruptionem* promovendam, seu ad ea revocanda, si retrogressa fuerint; in *morbis pectoris*, e. g. *tussi, asthmae*, in *affectibus arthriticis, podagricis, rheumaticis*, si *mucus tenax, humorum phlegmaticorum copia, cohibita transpiratio, exanthemata retrogressa, vel sanguinis*, e. g. *haemorrhoidum suppressio*, in causis sunt. Laudat ea ex causa etiam *Sulphuris* usum B. WERLHOFFIUS in *leucophlegmaria*, quae post *febrem scarlatinam* facile oritur. Equidem *Sulphuris* usus eximius est in *morbis*, qui homines aggrediuntur, in *metallorum sodinis laborantes*, vel cum talia *Metalla* tractant, quae *partibus saturninis, mercurialibus et arsenicalibus* inquinata sunt: sicut etiam notum est, *Sulphur*, si cum *Mercurialibus* propinatur, sistendi et prohibendi *salivationem*, quam haec excitant, vium habere. *Sulphur* etiam effectus a sumtis *venenis rodenribus, Arsenico, Mercurio corrosivo* etc. ortos, quia ea ab eo destruantur et decomponuntur, valde infringit. Miscetur eo scopo *Florum Drachma* cum *Aquae Vnciis* quatuor, et de hoc *Medicamine*, omni horae dimidia parte, *Cochlear* unum alterumve sumitur. Magis vero praesit in hoc casu *Hepar Sulphuris martiale*, de quo infra suo loco. Vbi *Plerhora* vel *bilis saburra* adest, *sulphurea* fugienda esse, cuilibet notum putamus. *Flores* nostri, qui praesulphure *crudo selectiori*, nullam praerogativam aliam habent quam quod in eis *acidum fortius* existet, dantur a *Granis* quatuor ad *Scrupulum* dimidium et integrum. In *scabie retrogressa*, ubi certissimum et fere unicum est remedium, ut plurimum largior requiritur quantitas, ut, a *Drachma* dimidia usque ad *Scrupulos* duos, atque in valde *phlegmaticis*, ad integram *Drachmam*, dari possit. Saepe utiliter *Sulphurea temperantibus* e. g. *Nitro, Magnesia, Cremore Tartari* etc. miscentur; praesertim, ubi *sanguinis profusiva* non impetuose revocanda sunt. Dantur vero etiam casus, ubi prudenter aliis *calidis* e. g. *Myrrha, Aloe*, vis eorum pellens augetur. *Infantibus verminosis*, vel *Aethiops antimonialis* datur, vel *Flores* nostri a *Granis* quatuor usque ad *duodecim*, cum *dupla Sacchari* parte exhibentur, recteque etiam in *obstructionibus glandularum mesaraicarum, atrophia et rhachitide* porriguntur.

Externe Sulphur siccatur, repellit et sanat; summa ergo cautio in Unguentis illis sulphureis, quae contra scabiem valent, adhibenda est, suntque, non nisi humoribus peccantibus antea emendatis et probe eductis, administranda. Recte quidem, ad mentem perill. PRINGLE, irritans quoddam, quod nimis subitam retropulsionem aliquo modo praecavet,

Vnguentis talibus additur, sed notari meretur; *Vnguenta mercurialia sulphureis* semper præferenda et securiora esse. *Suffimenta* ex *Sulphure*, vel *vestimenta suffimento sulphureo* imprægnata, in *scabiosis* quoque vitanda sunt; quia hoc modo *materia peccans*, etiam retropellitur.

127. *Flores zinci.*

§. 493. Rec., *Zinci in frustula redacti* Libram unam.

Iniice in *crucibulum cylindricum*, quod oblique positum esse debet, *operculo* probe tegatur, et in *furno fusorio* tamdiu carbonibus circumdetur, usque dum *Zincum* fustum fuerit. Si tunc *operculum* de *crucibulo* elevatur, accessu aeris, *Zincum* cum fumo inflammatur, qui fumus, ad latera *crucibuli* adiacet, instar *levium* et *alborum flocculorum*: hi *flocculi cochleari ferreo* recipiuntur, et labor, *crucibulum* *operculo* tegendo et intra quinque vel sex minutorum spatium iterum elevando, tamdiu continuatur, usque dum *flocculi* non amplius apparent. *Flores* summa cautione e *crucibulo* eximendi sunt, ne aliquod ab *inflammato metallo floribus* misceatur.

Fumus ex *Zinco* a *pulmonibus* exceptus, *haemoptysin* excitat: in labore præscripto itaque multa cautio adhibenda est.

§. 494. Ex GAVBII, PERCIVAL et aliorum observationibus, *Flores Zinci*, a Grano uno usque ad duodecim dati, *vermes* necant et *epilepsiam* tollunt. Nos eos in *epilepticis* semper incassum adhibuimus; et *clar. ODIER* etiam testatur, in multis sine effectu illos se dedisse: in principio aliquod morbi levamen eos afferre, continuato usu vero nullam virtutem ab eis vidisse. B. CVLLEN et alii *Medici Edinenses* quoque eos inefficaces repererunt. Sæpe *vomitus* et alia mala symptomata excitant. *Externe* adhibiti, vim *exsiccantem* et *roborantem* præstant

et

et ideo variis *Vnguentis ophthalmicis*, quae in *oculorum lippitudine* et *ophthalmiis serosis* valent, admiscentur. Vid. GAVBII *Advers. var. arg.* HART *Diss. de Zinco eiusque florum usu medico. Medical and phil. Comment. Edinb. Vol. II. p. 309. et Vol. III. p. 191.* SWIETENII *Comm. in Boerhaav. Aphor. T. IV.*

GELATINA CYDONIORVM. *Vid. No. 63.*

128. *Gelatina ribium.*

§. 495. Rec., *Succi Ribium depurati* Libras quatuor.
Sacchari canariensis Libram unam.
Coque in *vase figulino* ad *Mellis* consentientiam.

§. 496. *Gelatina* nostra, ob praeslantem *aciditatem* et *indolem saponaceam*, valet in *morbis inflammatoriis, biliosis* et *putridis*. *Mixturis temperantibus* itaque et eis, quae contra *putredinem* valent, ad aliquot *Vncias* additur. Adhibetur etiam in *Gargarismatibus*, uti non inepte *potui ordinario* admiscetur, quem *gratum* reddit et *antiphlogisticum*.

129. *Globuli martiales.*

§. 497. Rec., *Extracti Martis* *Vncias* quatuor.
Crystallorum Tartari pulveratorum
Vncias duas.
Misceantur et fiant *Globuli ponderis unius Vnciae*.

§. 498. *Globulis* talibus *Oxycratum*, vel *Aqua Saturni Goulardi* pro *fomentationibus* ad *contusiones, vulnere scelopetaria, articulos luxatos, ankylosin* et *haemorrhagias* saturantur, et magnum in his malis afferunt auxilium. Vid. *clar. THEDENII Neue Bemerkungen* et *Eiusdem Vnterricht für Wundärzte*. Ad *Balnea frigida, partibus martialibus* impraegnanda, quoque inserviunt. *Vnciae* aliquot eo scopo in *Aqua calida* solvuntur, et solutio haec miscetur cum *Aqua frigida*. Ad *internum usum*, *Globulo* tali *superinfunduntur Vini albi generosi Vnciae tres*, quae, cum postea noctu steterint, *utiliter* post

post *icterum*, *febres intermittentes*, in *affectibus oedematosis*, *leucophlegmatia*, et ipso *hydrope*, singulis aliquot hebdomadam diebus, mane hauriuntur.

130. *Hepar sulphuris martiale.*

§. 499. Rec., *Sulphuris pulverati*,
Salis Tartari, ana Vnciam unam.
Limaturae Martis depuratae Vnciam
dimidiam.

Misceantur in *crucibulo operculo tecto*,
liquefiant leni igne, ita quidem ut
crucibulum non candescat. Liquata
effundantur in *vas marmoreum*, *Oleo*
antea obductum, et sic frigefacta,
in *frustula comminuta* in *lagena*
vitrea probe serua.

§. 500. *Illustr.* NAVIER in *tract. Contrepoisons* extra
dubium posuit, *Hepar nostrum*, omnium remediorum
optime et certissime vires *Arsenici* debilitare. Drachma
huius *Hepatis* in libra *Aquae* solvitur, quam solutionem il-
le, qui *Arsenicum* assumit, copiose tandiu et quidem omni
horae quadrante ad aliquot *Vascula Theae* sorbillat, usque
dum graviores *Arsenici* effectus devictos conspicimus.

131. *Iulepus rosarum.*

§. 501. Rec., *Sacchari albi* Vncias sedecim.
Solve supra ignem moderatum in
Aquae Rosarum Vnciis novem.
Post unicam *ebullitionem* cola.

§. 502. Facit ad edulcorandas *Mixturas* et *Potus*.

132. *Kermes minerale.*

§. 503. Rec., *Antimonii crudi* grosso modo triti Li-
bram unam.

Lixivii caustici Libras tres.

Coque leni igne, per horam unam
duasve, dein liquorem fervidum per
chartam bibulam filtra; refrigerato
liquo-

liquore, pulvis subsidet, et in eo sua sponte praecipitatur, qui *rubicundum* habet *colorem*, *insipidus* est et *inodorus*. Tandem hic *pulvis Aqua* sufficienter edulcoretur et liccetur.

Ex *Antimonio* remanenti, superfuso *Lixivio*, et repetito, qui praescriptus labore, denuo aliquid *Kermes* obtinetur; una vero coctione ex *Libra Antimonii* *Drachmae XIII* et *Grana XVI* eius impetrantur. *Liquor clarus*, ex quo *Kermes* praecipitatum fuit, praeterea, uti suo loco docetur, *Sulphur auratum* largitur.

Ex experimentis *GEOFFROY* patet *Drachmam unam* (*) *Kermes* continere *Grana XVII Reguli*, *Grana XIV Alkali* et *Grana XII Sulphuris*. Vocatur etiam *Pulvis Carthusianorum*.

§. 504. Summum et praeclarum est *resolvens*, *humores tenaces* incidens, *sanguinis massam* purificans, *diaphoreticum medicamentum*, et in maiori dosi *purgans* atque *emericum*. Conducit itaque in omni *humorum lentore*, in morbis a *corrupta* et *coagulata lymphâ* ortis, *scabie*, *exanthematibus chronicis*, aliis *foedis cutis impuritatibus*, *ulceribus antiquis*, *tinea capitis*, *achoribus*, *glandularum tumoribus* et eis *obstructis*, *rhachitide*, *febris intermittentibus*, *chlorosi*, *affectibus cachecticis*, *leucophlegmaticis* (**) et ipso *hydrope*. Pari modo convenit in morbis *rheumaticis*, *arthriticis*, *podagricis*, *pectoris serosis*, praesertim in *asthmate pituitoso*, *catarrho suffocativo*, ubi copia *humorum tenacium* et *serosorum* adest, et in *russi convulsiva*. Datur a *Grano uno* usque ad *tria*, quatuor imo quandoque *quinque*. In maiori dosi *vomitum* excitat et *alvum laxat*, praesertim aut *acido* in *primis viis* praedominante, aut *salibus mediis* nuptum. Plerumque in *affectibus asthmaticis* et *catarrho suffocativo* consulto in tali dosi datur, ut *vomitum* cito ciat. *Infantibus bi- et triennibus* a quarta *Grani parte* usque ad *dimidiam*, *maioribus vero* usque ad *integrum Granum* exhibetur. *Tractu temporis continuatoque usu*, tam in *adultis* quam in *infantibus*, semper dosi augeri potest, *citra nauseam* vel *vomitum*.
cum

(*) Intelligitur *Drachma parisis*, quae *LXXII Grana* pendit.

(**) In *affectibus leucophlegmaticis*, qui facile *Post scarlatinam febrem* oriuntur, *Cremorem Tartari* cum *Kermes minerali*, tanquam *optimum remedium* laudat *illustr. TISSOTVS*.

cum uno vel altero nominatorum morborum, labes venerea coniuncta est, *Kermes* recte *Mercurialibus* miscetur, de qua combinatione legi merentur *die Edinburger Versuche und Bemerkungen* 1. B. et *WERLHOPII Specimen I. de Medicament. alter. et Mercurio*. Externe *Kermes* adhibetur ad *ulcera sordida* atque *antiqua purganda sanandave*.

Sulphur auratum Antimonii, cum nostro hoc Medicamento convenit, nisi quod hoc *regulinis partibus* minus scateat, et ideo illud citra *nauseam* vel *vomitum* largiori dosi, a granis nimirum duo usque ad duodecim imo ultra, exhiberi potest.

133. *Lapides cancerorum praeparati.*

§. 505. Vid. §. 307. In *primis viis acidum* absorbent, et inde vel foli, a Scrupulo uno usque ad duos et integram etiam Drachmam, dantur, vel cum aliis *absorbentibus* miscentur. Recte talibus remediis, quae *ventriculum* gravant, *aroma* quoddam additur; usus eorum vero non protrahatur. In quibusdam, ex singulari *idiosyncrasia*, *Lapides* hi, uti *canceri* ipsi, varia incommoda excitant, *anxietates* nimirum et *vomitus*, quos ut plurimum *efflorescentia cutis* sequitur, quae *febri scarlatinae* similis est. In *morbis putridis* et *biliofis*, *Lapidum* horum usus vitetur, et si *absorbentia* desiderentur, alia praescribantur. An in *fluore albo* tanta miracula praestent, uti *perill*. L. B. a *STOERCK* contendit, non inquiremus.

134. *Lapis calaminaris praeparatus.*

§. 506. Vid. §. 307. Externe vim *exsiccantem* et *caethaericam* praestat; ideoque in talis generis *Vnguentis* adhibetur. In *ulceribus sordidis* etiam is inspergi potest.

135. *Lapis causticus.*

§. 507. Rec., *Lixivii caustici filtrati* quantum vis. In *vase ferreo* tamdiu evapora, donec guttula *Lapidi* frigidus *insillata* indurescat. Tunc *Sal* hoc *crucibulo* immittatur, et *ignis* ei admoveatur, usque dum in *Olei* forma fluat, quod subito effundatur in *canalem ferreum* calefactum et *Oleo Olivarum* illitum, qui

qui *pennae anserinae* magnitudinem habet; tandem in frustula idonea fecetur, et in vitro probe clauso servetur ad usum.

§. 508. Olim remedium hoc inter arcana habitum fuit, et primus descriptionem eius dedit FELIX PLATERVS in *Observ. L. II. p. 552.*

Tempore usus, loco, cui necessarium est, *Emplastrum* quoddam tenax, in medio, quantum satis est, perforatum, imponitur; deinde foramini *Lapis* noster, quem *Chirurgi Cauterium potentiale* vocant, immittitur, et aliud *Emplastrum* superimponitur, ne in aere disfluat; ita maneat per horae dimidium vel integrum, quo tempore elapso, crassissima cutis, absque magno dolore perusta et mortificata est, *Escharae* lapsus deinde *Vnguento digestivo* quodam promovetur.

Magni usus est in *hyper-sarcosis* et *callis* absumendis, si prudenti manu applicetur. In *caria cranii*, *costarum* et *sterni*, ad promovendam *exfoliationem*, circumspectum eius usum laudat *illustr. ACRELL in chirurg. Vorfällen I. B. p. 17.* Ad *verrucae* merito *mitius cauterium* adhibetur, quia facile talibus fortioribus, *malignam* et *carcinomatosa* induunt indolem. Ad *fonticulos* applicandos, vel *Cauterium actuale*, vel *Vesicatorium*, et ad *tumores* aperiendos ut plurimum *culter chirurgicus* praefertur.

Lapis infernalis potentius hoc *caustico* agit, et in *carie ossium* non raro ipsius *ignis* vires superat. Ad *carnem fungosam* in *ulceribus* et *vulneribus* corrodendam et consumendam, uti et *fistularum*, *ulcerum vulnerumque ossia callosa* absumenda, omni die in *chirurgia* adhibetur, uti quoque ad *naevos maternos* exstirpandos valet. Drachma huius *Lapidis* dimidia in *Aquae fontanae* Vnciis duabus soluta, et haec solutio dein *Aquae Vnciis* octo diluta, validum *roborans* exhibet, in *fistula lacrymali*, ubi per *puncta lacrymalia* iniiciatur, uti quoque valet in *fistulis* et *ulceribus* exsiccandis.

LAPIS DIVINVS Vid. *Lapis ophthalmicus.*

136. *Lapis infernalis.*

§. 509. Rec., *Argenti probe cupellati* Vnciam unam.
In *vase vitreo* ei affunde
Acidi Nitri fumantis Sefquiunciam.

Balnei calore solutio evaporetur ad
siccitatem usque; dein *Sal exsiccatum*
ampliori *crucibulo* immittatur, et
in principio leni igne fundatur,
deinde hic paululum augeatur, ces-
sante vero ebullitione, quando mas-
sa instar *Cerae* fluit, subito in *cana-*
lem ferreum eodem modo, uti
§. 507. docuimus, effundatur.

De usu vid. §. *praeced.*

137. *Lapis ophthalmicus.*

§. 510. Rec., *Vitrioli de Cypro,*
Aluminis crudi, ana Vncias quatuor.

Pulverata misceantur, deinde lique-
fiant leni igne in *vase figulino non*
vitreato, et parum refrigeratis, adde
Camphorae, cum Spiritu Vini in pul-
verem redactae, Drachmas duas.

Misceantur et serva *Lapidem* ad usum.

§. 511. Vncia una huius *Lapidis,* in *Libra una*
Aquae cuiusdam *destillatae* solvitur, *solutio* filtratur, ut
Liquor clarus evadat, et tali modo in *fomentationibus*
et *injectionibus* applicatur. *Refrigerat, repellit, mundificat,*
exsiccat et *roborat.* Proprie *oculorum morbis solutio* haec
dicata est, et in eorum *lippitudine, ophthalmia humida,*
post *operationes* in *oculis* institutas, partes affectas fomen-
tando adhibetur; uti non minus, summo cum effectu,
in *debilitate* et *obstructione viarum lacrymalium,* incipien-
tique *fistula lacrymali, Syringae Anellianae* ope iniicitur.
Ob *vim* huius *Lapidis adstringentem* satis vehementem,
tamen caute adhibendum est hocce remedium, et tantum
in *partibus relaxatis, epiphora* etc. Praeterea haec *solutio*
ad

ad aliorum *vulnerum inflammationes, ulcera sordida purganda et fistulas* valet.

138. *Laudanum liquidum Sydenhami seu tinctura thebaica.*

§. 512. Rec., *Extracti Opii* Vncias duas.

Aquae florum Cassiae Vncias sedecim.

Digere per tres dies, dein filtra et ferva ad usum.

Quaelibet Vncia huius *Laudani*, continet Drachmam unam *Extracti Opii*: ut itaque Drachma eius, Grana septem cum dimidio de *Opio* comprehendat.

In *solutionibus*, quae cum solo et sincero *Spiritu* factae, *Opii* aliqua pars fundum petit; in *vinosis* in forma crustae, si solutio per aliquod tempus servatur, ad latera vitri pars quaedam *Opii* adhaeret: in uno et altero casu quarta pars *Opii* tali modo a solutione separatur, ita ut *Tinctura* recens parata quarta parte fortior reperiatur ea, quae iam aliquo tempore praesto fuit. His vitis nostra praescriptio vero non laborat.

§. 513. Vfus eius diiudicatur ex eis, quae §. 480. de *Extractio Opii* diximus, et ibi adhiberi potest, ubi hoc laudavimus. Datur a Guttis decem usque ad triginta et ultra. In *affectibus hysteriis, spasmodicis et convulsivis, Liquor Cornu Cervi succinatus* et *Liquor anodynus mineralis Hoffmanni* ei addi potest, in *diarrhoeis* nimis, vel *hyperemesibus*, aliisque *excretionibus* praeter naturam excedentibus, *roborantia*, et sic pro rerum circumstantiis alia remedia. *Infantibus*, qui infra annum sunt, tantum duae vel tres Guttulae dentur; *biennibus*, usque ad quinque, et *maioribus*, usque ad decem.

139. *Limatura martis depurata.*

§. 514. Rec., *Limaturae Martis, non rubigine obductae*, quantum vis.

Ope *Magnetis*, ea ramenta, quae illo atrahuntur, separentur a caeteris, in

Piderit Pharmacia,

L

pul-

pulverem subtilissimum redigantur, usuique serventur.

Neesse vero est, ut *Pharmacopoei Limaturam* a talibus artificibus emant, qui nullum *Cuprum* seu *Aurichalcum* laborando consumunt: nam quamvis *Limatura Veneris* et *Martis* singula seorsum limata et commixta, ope *Magnetis* secerni possint; tamen id non succedit, cum *Limatura* fabrorum, multis miculis interspersa, quae ex altera parte vel latere, *ferreae*, ex altera autem *cupreae* existunt, et sub una eademque portione lima abrafae fuerunt. Quales propterea ex latere *ferreo* accipere solet *Magnes*, licet ex altera parte vel latere, particula *Cupri* illiquata adhaereat. Imo duplum *Veneris*, cum *Ferro* fusum, *Magnetem* sequi, HENCKELIVS observavit.

§. 515. *Limatura depurata* et nullis *cupreis partibus* inquinata, nullum vomitum excitat, et ea ex causa, ad ea, quae ex *Marte* parantur remedia, non alia sumitur. Ratione *virium* ea quidem vid. quae §. 473. de *Extracto Martis* diximus, sed notandum, *Limaturam* eo multo efficaciorum esse. Datur a Granis duobus usque ad *Scrupulum* integrum, addito quodam *Aromate*, vel cum *Vino*.

140. *Liquamen cinerum clavellatorum vel tartari.* Vulgo *Oleum tartari per deliquium.*

§. 516. Rec., *Cinereum clavellatorum depuratorum* vel *Salis Tartari*, quantum vis.

In vase vitreo plano, tamdiu in loco humido aeri exponatur, usque dum in *Liquorem Cineres clavellati* vel *Sal Tartari* soluti fuerint, qui filtretur.

De usu vid. §. 384.

141. *Liquor anodynus mineralis Hoffmanni* seu *Spiritus vitrioli dulcis.*

§. 517. Rec., *Spiritus Vini rectificatissimi* Libras quatuor.

Immitte in *Vitrum* altius et amplum, epi-

epistomio probe munitum, deinde
sensim et per vices affunde

Acidi Vitrioli concentrati Libram unam.
Admixtio haec cum calore et strepitu
fit, et liquorem limpidum in rufum
mutat. Mixta rite obserata stent per
septem dies in loco frigido; tunc
liquorem effunde in *retortam*, et huic
applicato simulque probe obserato
recipienti, destilla ea ex *Arenae Bal-*
neo, lenissimo ignis gradu. Prodit
sic primo, ponderis Librarum trium,
Spiritus summe subtilis, inflammabilis
et *flagrans, gratissimi saporis odoris-*
que, quem exime, et sub *Liquoris*
anodynii nomine serua. Iterum ap-
plicato *recipienti* probe obserato,
destillatio repetatur eodem caloris
gradu, cavendo, ne *Offa nigra* de-
currat in *receptaculum*. Sic prodit
Phlegma acidum sulphureum, cui si-
mul *Naphtha Vitrioli*, sive *Oleum Vi-*
trioli dulce seu Vini innatat. Haec
a *Phlegmate*, affusa *Aqua*, ut *Naphtha*
ad superficiem ascendat, separatur,
et in *vitro, epistomio* probe munito,
seruatur.

Si *Liquor anodynus Sulphur* redoleat, ad *saturationem*
usque, *Alcali* quoddam adiiciatur, et *destillatio* repetatur.

Quando *Offae illi nigrae*, quae a *destillatione* restat,
denuo *Alcohol* in debita quantitate additur, et praevia
frigida destillatione destillatur, *Liquor* tunc obtinetur,
qui fragrantior priori est.

Celebris ille *Liquor*, qui, a *Monacho MANCHINI*,
nomen suum obtinuit, paratur, si *Naphtha Vitrioli*, cum
portione *Resinae*, quae a *destillatione* remanet, digera-
tur; unde colorem suum accipit. Vid. B. SPIELMANNI

Institut. Chym. p. 151. et CAR. HOFFMANNI Diatrib. Chym. Med. de Acido Vitrioli vinoso.

§. 518. Iam pridem THEOPHRASTVS PARACELSVS, in scriptis suis, meminit *Olei* cuiusdam *Vitrioli dulcis*. Arcanam vero et nullibi antea traditam praeparationem invenimus, in *CORDI libr. de artificiosis extractionibus. Part. III. C. XI. p. 278.* unde dein ipsa haec descriptio tranlisse videtur in *CONR. GESNERI Lib. de secret.* Hinc subinde eiusdem Medicinae mentionem fecerunt ROBERTVS BOYLE, IO. BOHNIVS aliique *Scriptores chymici*. Tandem, anno huius seculi decimo undecimove, *Pharmacopoeus* MARTMEYER, qui primo *Islebiae* vixerat, et dein *Halum Mogdeburgicam* digressus, primus magnis encomiis Medicamentum hoc commendavit et vendidit. Ab hoc deinde MARTMEYERO, cuius res prorsus attritae erant, praeparandae huius Medicinae modum edoctus B. FRID. HOFFMANNVS.

Naphtha Vitrioli, a *Guttis* sex usque ad viginti, vel *Saccharo* excepta, vel aliis mixta, optimas exserit *vires sedativas*, seu *anodynas*, *carminativas*, *antisepticas* et *resicientes*, in multis morbis maximi usus. *Affectus spasmodicos*, *hystericos*, *morbos putridos*, *humorum lentorem*, *soporosos*, *apoplecticos*, *paralyticos*, *diversas dolorum species*, e. g. *colicos*, *arthriticos*, *podagricos*, *capitis* &c. tantum nominabimus, caeteros cuiuslibet practici iudicio relinquentes. In *diarrhoeis* et *dysenteriiis* utiliter *laxantibus Naphtha* nostra, additur; saepe etiam recte cum *Laudano*, vel *Oleo animali Dippelii* vel cum *Liquore C. C. succinato*, pro rerum circumstantiis, miscetur. In *parturientium laboribus* saepe optimum *Naphtha* praestat auxilium; si rite eius usus administretur. Dolores a *dentibus cariosis* ortos, aliquot *Gutulae lanugine bombycina* exceptae, et *denti carioso* applicatae, saepe satis cito lstant.

Liquor anodynus, viribus longe debilior est, inde etiam multo largiori dosi porrigi potest, a *Guttis* nimirum triginta, usque ad centum et ultra. Dolendum vero, hoc Medicamentum centies et millies sine ratione praescribi, et eius vires quemlibet rudem *Empiricum*, *Agyrtam*, quamlibet etiam *mulierculam* diiudicandas sibi sumere. Quidam hominum, *Liquoris* usum, uti in praxi invenimus, plane tolerare nequeunt.

De *Liquoris anodyni externo usu* notandum superest, eo saepe *Species cephalicas*, quas pro *cucuphis* nominant, bene irrorari. In *panaritio*, *digitus* *Liquore* madefactus, ad *materiae destructionem*, accenditur.

142. *Liquor cornu cervi succinatus.*

§. 519. *Rec., Salis Succini veri* Vnciam unam.

Sol-

Solve in mortario lapideo cum
Spiritu Cornu Cervi rectificato, quan-
 tum sufficit ad saturationem.

Dein filtra et serva ad usum.

Punctum saturationis est, quando nulla ebullitio
 amplius sentitur, et *Sal Succini* in *Spiritu* solutum est.
 Vnciae quatuor *Spiritus Cornu Cervi*, circiter Vnciam
 unam *Salis Succini* saturant.

§. 520. Potenter *resolvit*, *stimulat*, *sudorem* excitat,
urinae excretionem secundat, et *antispasmodicam vim* exserit.
 Datur ergo potissimum, quando *materia morbofa* in
 corpore haerens, versus exteriora pellenda est; e. g. *ex-*
anthemata varia, *morbi arthritici*, *podagrici retrogressi*:
 ubi varia inde pendentia symptomata, praesertim *spasmos*
 et *affectus convulsivos*, satis cito aufert. Ad auferendas
convulsiones, quae in *infantibus* a *difficili dentitione* oriuntur,
 hoc *Liquore* nihil praestantius invenit magnus BOER-
 HAAVIUS. In genere valet etiam *Liquor* hic, in omni
spasmodorum genere, et praesertim *affectibus hysteriis*, quos,
 si cum prudentia et absenti *plethora* datur, ut plurimum
 praeter omnem expectationem, uno quasi momento
 tollit. Datur a Guttis quindecim usque ad sexaginta et
 ultra. *Infantibus*, a Guttis quatuor usque ad duodecim.
 Pro rerum circumstantiis, *Laudano liquido* misceri potest.

143. *Liquor nitri fixi.*

§. 521. Rec., *Nitri depurati* Vncias octo.

Repleatur eo *crucibulum* fortissimum
 ignem ferens, ad dimidias. Ne in-
 ter ebullendum, *Nitrum* oras *cruci-*
buli egrediatur; moderato igne
 permittite fluere: tuncque successive
 parvae *spathulae ferreae* ope, adde,
Carbonum pulveratorum tantum, do-
 nec nulla *detonatio* sentiatur, et om-
 nis cesset *strepitus*.

Deinde repone *Crucibulum* in loco
 frigidissimo per aliquot horas, ut, ex hu-
 mido

mido attracto, *Massa Crucibulo* eximi queat, quae tandem cum *mortario lapideo* in cellam reponatur, ut in *Liquorem* deliquescat, qui filtratur, usuique asservetur.

Temporis tractu *urentem et causticam indolem* amittit, hincque saepe praeparatio eius reiteranda est.

§. 522. Valet *externae* ad absumendos *clavos pedum, varices et callos*, qui eo attinguntur. *Interne* non detur.

LIQVOR STYPTICVS WEBERI Vid. N. 38.

144. *Liquor terrae foliatae tartari.*

§. 523. Rec., *Terrae foliatae Tartari*, quantum vis. In *vase vitreo*, humido aeri tamdiu exponere, usque dum *Sal* liquefactum est; deinde per *chartam bibulam* filtra et usui serva.

§. 524. *Terra foliata Tartari*, quam summus BOERHAAVIVS, maximo iure, tam eximie laudat, omnium consensu, inter *Salia media*, primum occupat locum. In *Elem. Chym.* BOERHAAVIVS „vidi,” ait, „sane mira per hoc Medicamentum praestita: liquefacit enim omnia obstinatissima obstructa: hinc ad *scirrbum* curandum mihi optime successit, dum sensim malum resolveretur: unde quoque testantur Auctores *scirrbum hepatis* inde curari.” *Medicamentum* est *saponaceae indolis, abstergens, aperiens, diureticum, optimum resolvens*, et in maiori dosi *alvum movens*. Temperat *insuper sanguinem commorum et bilem, colliquat humores lentos, coagulatos, viscidos, flatusque pellit*. Conducit inde, in *visceribus obstructis, scirrhis, strumis, febribus acutis et intermittentibus; alvi et urinae impedimentis, a pituita tenaci, vel materia sabulosa ortis; atrophiam, rhachitide, artbritide, ictero, mensium ataxia, affectibus haemorrhoidalibus, leucoplegmaticis, hydropicis, scorburicis, hypochondriacis* et in ipsa *melancholia et mania*. Datur *Terra foliata Tartari* ipsa, a Drachma dimidia usque ad unam. *Liquor* vero noster ut plurimum *allis Mixturis* ab *Vncia una* usque ad tres, additur, vel in eo *Extracta* varia solvuntur, quae actuosiora reddit. *Morbi pertinaciores, Terrae seu Liquoris* continuatum usum per plures menses desiderant. In *ventriculi ardore*, qui *saburram biliosam rancidam* pro causa agnoscit, a Cochleari uno ad duo, ter quaterve in die, porrigi potest.

Tar-

Tartarus solubilis eadem fere gaudet praestantia, et omnia de eo valent, quae de *Terra foliata Tartari* laudavimus.

Tartarus tartarizatus non minori laude nominandus est, et praesertim ibi valet, ubi continuatus horum *Salium* usus indicatur, sicut praesertim eius praestantiam in *melancholia* et *mania* B. MVZELII observationes testantur. Datur vel omni bi- vel trihorio ad Drachmam unam vel alteram, vel etiam statim maioribus portionibus, ad Drachmas tres aut Vnciam dimidiam porrigitur. Optime ad mentem MVZELII aliquot eius Vnciae cum *Aqua* solvuntur, et addito *Melle*, repetitis vicibus datur.

Tartarus vitriolatus quodammodo cum prioribus ratione virium convenit, sed his multo inferior est, et non tam tener. In genere autem circa *Salium mediorum* usum notandum est, modo alterum prae altero, insigniorem praestare effectum, et continuato talium remediorum usu, consultum esse, modo unum, modo alterum eligere.

145. *Lixivium causticum.*

§. 525. Rec., *Calcis vivae* Libram unam.

Superinfunde

Aquae fontanae Libras sex.

Ebullitione cessante adde

Cinerum clavellatorum Libram dimidiam.

Coque in *in lebeti ferreo*, usque dum *Lixivium* pennam anserinam, ei immisissam, rodit; tunc dilue Massam cum *Aquae fontanae* sufficienti quantitate et filtra.

§. 526. Ad paranda alia *Medicamenta* et labores *pharmaceuticos* adhibetur.

146. *Magnesia alba.*

§. 527. Rec., *Salis anglicani amari* Libras duas.

Solve in

Aquae fontanae fervidae Libris octo,

per *chartam bibulam* filtra. Dein

Recipe, *Cinerum clavellatorum depuratorum* Libram unam.

L 4

Sol-

Solve in

Aquae fontanae fervidae Libris quatuor.
Hos solutos *Sali Anglicano* tamdiu
sensim insilla, usque dum hic ex
Sale factus *Liquor* non amplius tur-
batur, sed clarus remanet. Porro
soluta, seu *Liquores* hoc modo mix-
ti, in vase cupreo flamo probe incru-
stato, parum ebulliant, et per pan-
num linteum filtrentur. Deinde *Mef-
sam albam* remanentem tamdiu *Aqua
fontana ferventi* ablue et edulcora,
usque dum haec *Aqua*, ab insillato
Aceto Saturni non turbatur; *Pulvis*
denique siccatetur et ad usum fervetur.

Si *Sal anglicanum* genuinum fuerit; *Pulvis* lenissimus
et albissimus, et in *Acido Vitrioli* plane solvi potest; si
vero *Calce* et huius generis partibus adulteratum fuerit,
remanet *materia gypsea*, solutionem respuens. In gene-
re, omnis *Magnesia*, quae modo, qui antea consuetus
erat, parata fuit, semper *Calce* erat inquinata, sed no-
stra praeparationis methodo, quae *illustr. BLACKII* est,
eam nunc puram obtinuimus.

Magnesiae genuinae notae sunt: 1. ut *vera Magnesia*
cum *Acido* effervescat, et in eo solvatur; 2. fortissimo
igne ad calcem comburi possit; 3. avide *Aquam* absor-
beat: et cum *Acido Vitrioli* exhibeat *Sal anglicanum*
amarum in *Aqua* facillime solubile.

Pharmacopolae quidem saepe, quin plerumque, *Magne-
siam* a *circumforaneis* emunt; sed interdictum hoc esto,
quia ut plurimum adulterata est, et quidem ut plurimum
Gypso. In *acidis* haec mangonifata sine *effervescentia*
decidit, sine ulla solutione. Cum *Sali alcalino* mixta,
uti et *pulvere Carbonum*, prodibunt signa veri *Gypsi*.

§. 528. Ab octoginta et ultra forte annis innotuit. De
gloria inventi, cui adscribenda, non satis vero constat. Ut
plurimum adscribitur *Monacho, Romae Canonorum*, natione
Batavo, quem aliqui pro *Comite, Palma* nominis vendunt.

Alii

Alii HELMONTIO adscribunt, alii FABRO, et alii tandem P. FRAVENDORFERO. Primam descriptionem dedit THEOD. ZWINGERVS, in *Dissert. de Nitri natura et usu in Medicina*, et post eum B. VALENTINI in *relatione, de Magnesia alba, novo, genuino polychresto et innoxio pharmaco purgante, Romae nuper adueto. Giessae 1707.* Magnesia haec non solum vim acidam in primis viis absorbendi praestat, sed etiam aluum leniter laxat; si ad semi usque ad Vnciam datur. Inter Absorbentia primum occupat locum, quoniam non ita ventriculum gravat, etiam non ad putredinem, uti alia Absorbentia disponit, ut potius evidenter viribus antisepticis instructa sit, praesertim si cum aequalibus partibus *Crysalorum Tartari* iungitur, unde verus aer fixus exsurgit. Datur a Drachma dimidia usque ad unam, si Acidum praedominetur, in illis etiam morbis, ubi illud abundantia et copia peccat. Exserit quoque vires diureticas et interdum diaphoreticas. Praesertim dicata est Nutricibus: quia non solum, si interdum in die, a Drachma una ad duas, datur, alvum apertam reddit, sed etiam Lac ab aciditate defendit et praemunit. Ut simul ventriculi vires conserventur, flatusque expellantur, consulto tunc, Vnciae unius *Magnesiae, Flavuentis Corticum Aurantium* et *Seminis Foeniculi* ana, Drachma una additur. Caeterum Magnesia etiam valde conducit haemorrhoidariis, hypochondriacis, hysteriis; pari modo, ubi fortius movens et stimulans vitandum est, e. g. in gravidis; et ob absorbentem vim, peculiari modo infantibus lactantibus, ad acidum infringendum et materiam caseosam educendam. Confert ea ex causa in inquieto infantum somno, a torminibus et dentitione gravi orto; alvum viridem reddit naturalem, flatulentiam et vomitus tollit. Commodè his cum Syrupis quodam ita misceri potest, ut, ad Vnciam Syrupi, Scrupuli quatuor veniant: quod Medicamentum, ad parva Cochlearia, crebrius in die datum, infantes facile admittunt.

147 Mel rosarum.

§. 529. Rec., Mellis crudi Libram unam.
Succi petalorum Rosarum expressi, vel
in eius defectu
Mucharum Rosarum Libram dimidiam,
Misceantur.

§. 530. Mellis, seu multo magis Hydromellis indolem saponaceam, vires densitatem sanguinis incidentes, et dissolventes crassos humores, excretionem per urinam pro-

moventes, iam *veteres Graeci* maximo iure laudaverunt, et inde in variis morbis, praesertim *febris acutis*, instar *potus ordinarii* cum *Aqua* mixtum recte praescripserunt: quia hoc modo, cum *humoribus nostris fluida* melius miscentur. Praestat vero *Mel crudum*, sine ulla *coctione* praescribere. *Externe* equidem magni apud eos fuit usus, et adhuc laudem meretur, ad fomentandas *partes luxatas, fractas, contusas et inflammatas*: quia quam optime *inflammationi* resistit et *sugillationes* aufert. *Illustrem* igitur *BRAMBILLAM* miramur, eum hunc *Hydromellis* usum obnubilare et abrogare ausum fuisse: cum tamen quotidiana experientia contrarium docet. Ob admixtum *Acetum*, *Hydromel* adhuc superat vires *Oxymellis simplicis*, de quo vid. §. 293. Caeterum *Mel* adhibetur ad incorporanda *Electuaria*. *Stimuli* loco ad *Cysmata* uti et ad aliquot *Vncias* in *Gargarismatibus*, quae contra *anginam* valent, in quibus tamen ob gratiam illam, quam *Mel Rosarum* a *Rosis* acceperit, hoc communiter recipitur. Caeterum *Mel Rosarum* cum *Acido Vitrioli* mixtum, valet ad *aphthas* purgandas, uti quoque *Collyriis* additur.

148 *Mercurius alcalisatus.*

§. 531. Rec., *Mercurii vivi depurati* Vnciam unam.
Lapidum Cancrorum Vncias duas.
 Mixta terantur §. 309. praescripta
 methodo.

§. 532. *Mercurius* noster, quem *BURTON, CHEYNE, HUXHAMVS* et *BROOCKS* laudant, praesertim valet ad *impuritates humorum venereas* corrigendas, *gonorrhoeam, bubones* et alia *inquinamenta venerea*. Datur a *Scrupulo* dimidio usque ad *Drachmam* dimidiam, et ne *Salivatio* excitetur, *purgantia*, e. g. *Resina Jalappae* ei adduntur. Conducit etiam *Medicamentum* hocce in *obstructionibus viscerum, lentore humorum* et *accumulatis humoribus pituitosis*.

149. *Mercurius calcinatus.* Vulgo *Praecipitatus ruber.*

§. 533. Rec., *Mercurii vivi depurati* Vncias quatuor.
 Solve in *Acidi*

Acidi Nitri Vncias octo.

In cucurbita vitrea per *Balneum Ar-
nae* evaporetur, usque ad siccitatem.
Quò factò Massa eximitur, et in *cru-
cibulo vitreato*, ignis debito gradu,
sub perpetua *Spathulae lignae* agita-
tione, tamdiu calcinatur, usque dum
*colorem pulcherrime rubrum et splen-
dentem* induerit.

Quando, in *cochleari ferreo*, supra ignem hic et *Mer-
curius praecipitatus albus*, plane, nullis partibus reman-
entibus deslagrant, genuini et non adulterati sunt: sin
vero partes aliquae remaneant: *calcinatus*, ut plurimum
cum *Minio*, et *praecipitatus albus*, cum *Cerussa* vel *Ma-
gisterio Marcastiae*, inquinatus est.

§. 534. Ad *carnem luxuriantem* absumendam et *ulcera
venerea*, praesertim si *callosa* et *fistulosa* sint, purganda,
et eorum *suppurationem* promovendam, maximo cum
usu, in *Chirurgia* adhibetur. Ad *Vnguenta ophthalmica*,
quae, in *affectibus oculorum venereis*, *ophthalmiis sero-
sis* etc. valent, quoque venit.

Caeterum in hoc et aliis *Mercurialibus* adhibendis,
semper summa cautione opus est, et non a quolibet *Empi-
rico* praescribantur, uti toties pro dolor! ipsi hic vidimus.

150. *Mercurius cinereus.*

§. 535. Rec., *Mercurii vivi depurati*,
Acidi Nitri ana Vncias quatuor
Misce ut solvatur. *Mercurium solutum*
Aqua destillata elue et adde
Spiritus Salis Ammoniaci, quantum
sufficit ad *Mercurium* penitus ex *aci-
do* praecipitandum.
Pulvis dein *Aqua destillata* lavetur et
exsicceetur.

§. 536. Laudatur, sicut circa omnia nova solemne
est, hoc remedium nostro tempore a multis, tanquam
optimum *Mercurialium praeparatum*. Numne tantam
prae-

praerogativam prae *Mercurio dulci*, mereretur, non diiudicabimus, sed ulterioribus tentaminibus relinquimus. Hoc notari nobis incumbit, saepe in quibusdam cum ferocia quadam agere, et non tam mitem esse, quam *Mercurius dulcis*. Datur itaque etiam in principio in die saltim ad Granum unum, sensim, si aeger illud tolerare potest, ascendendo usque ad sex. Optima eum propinandi methodus est, *pilularis forma*.

151. *Mercurius dulcis*.

§. 537. Rec., *Mercurii sublimati corrosivi* Libram unam.

In mortario vitreo vel lapideo, hic, adspargendo interdum aliquot *Aquae guttulas*, teratur, et tunc ei addantur *Mercurii vivi depurati* Vnciae decem. Vtraque ita sensim misceantur, ut nulli *globuli mercuriales* amplius appareant, sed *pulvis nigricans* resultet. Hoc pulvere impleantur *vitra potionibus medicis dicata*, tali modo, ut duae vel tres partes eorum vacuae relinquuntur, haecque tunc in *Cupellam ferream*, vel *Crucibulum Arena* repletum imponantur; tunc primo, *ignis levior gradus* ei admoveatur, sensim vero is magis augeatur, usque dum *Mercurius* plane elevatus sit. *Orificia vitrorum* tamdiu aperta relinquuntur, donec omne *humidum* expulsus fuerit; deinde vero *charta convoluta* clauduntur. Finita *sublimatione*, *vitra*, *panni* ope, eximuntur, et postea *panno Aqua humectato* involvuntur, ut frangantur. Tandem *corpus albicans ponderosum*, quod *Mercurius dulcis* est, a *Mercurio vivo* superius adhaerente, et a *partibus flave-*

flavescentibus provide separatus, eximitur, et nunc addita

Mercurii vivi depurati Vncia una, quae probe antea inter se terantur, ut omne, quod in prima *sublimatione* elevatum sit, intine cum *Mercurio vivo* misceatur, et tunc iterum *sublimatur*, et eodem, quo antea, tractatur modo.

Altera hac *sublimatione*, *Mercurius dulcis* iam satis purus redditus fuit, ita et reiterata ulterior *sublimatio*, tanquam superflua considerari potest. Nam reiterata quinta, sexta, septima nimirum *sublimatione*, unde dicta *panacea mercurialis* seu *Calomel* oritur, magnam *Mercurii vivi* partem deflagrare, et inde residuum multo magis *corrosivam* iterum induere indolem, probavit *illustr. BEAUME in der erläuterten Chymie übersetzt von GEHLER T. II. p. 471.* Vt vero de probitate *Mercurii dulcis* eo certiores simus:

Recipe, *Mercurii dulcis* Vnciam unam.

Redigatur in *pulverem subtilissimum* et teratur cum

Salis Ammoniaci Drachma una, in sufficienti copia *Aquae fontanae* soluti.

Aqua a pulvere, per *Chartam bibulam* separetur, *pulvisque* *Aqua fontana* abluatur et iterum siccetur.

Color niger, qui oritur, si, cum *Aqua Calcis vivae*, *Mercurius dulcis* misceatur, non semper de probitate *Mercurii dulcis* testatur; eundem enim colorem induit mixtio *Aquae Calcis vivae* cum *Mercurio sublimato corrosivo*, quando hic *Arsenico* adulteratus est: uti ille invenitur, qui venalis a *Batavis* copiose evehitur. Hoc vero maxime improbamus: quoniam *Pharmacopolae* tanta *heroica* ipsi parare debent. Quando mixtio *Mercurii dulcis* cum *Aqua Calcis* non *nigrum colorem* acquirit, quoque

que non statim *Mercurius* accusandus, quia hoc, ex *Aqua Calcis* non proba esse potest.

§. 588. *Resolvit, sanguinem purificat, ptyalismum excitat, in maiori dosi album laxat, et alias excretionem promovet.* Inter praestantissima et securissima pertinet *Mercurialia*: quod ergo, quanquam multi infra dignitatem suam putant, hoc tam antiquum et ubivis notum remedium praescribere, omnibus aliis, certo sensu, praefendum est. Praecipue utimur eo, ad sanandos *Venericos morbos*, e. g. *luem ipsam, fluorem album malignum, gonorrhoeam malignam, scabiem venericam, bubones, ulcera venerea* et alia *inquinamenta* istius indolis: porro in *cataracta, gutta serena, ad infarctus, obstructions viscerum, scirrhus, scrophulus* resolvendas, unde in *obstructione mensium* pertinaci et *febre quartana* rebelli, magnos saepe praestat effectus; et ad *vermes* necandos. Modus cum adhibendi quidem ut plurimum est, qui a *Grano uno* semel vel bis in die detur; et quae dosis, addito semper *Grano*, ita augeatur et continuetur, usque dum *Salivatio* excitata sit, qua orta, ita dosis eius sensim sensimque, uti aucta fuit, minuatur. Sed recte haec methodus improbanda est: quia *salivatione* excitata, ut plurimum corpus ab hac magis laeditur, quam a morbo ipso, quem aufert: et alio modo eundem *Mercurius* noster praestat effectum. Insuper *methodus salivatoria* non solum est valde incommoda, sed etiam ob *suffocationis* metum et alia gravissima symptomata e. g. *delirium, affectus soporosos, haemoptysin, dentium iacturam*, etc. valde periculosa; ob *Mercurii* nimis celerem elapsionem e corpore valde incerta et inefficax, et ob *Mercurii* facilem metastasin ad varia corporis loca, valde timenda. Legi de hac re in primis meretur *illustr. SCHWEDIAVER pract. Beobacht. über harnäck. vener. Zufälle Cap. 14. et doct. GIRTANNER Abhandl. über die venerische Krankheit 1. Band P. 318.* qui *Viri* quoque *methodum salivatoriam* plane reiciunt. Vitetur itaque *salivatio*, nisi ob *symptomata* maxime urgentia, et ubi ex largiori *Mercurialium* usu, et morbi *venerici* gradu insigniori, in quo facilius, quam alibi *salivatio* movetur, ea evitari nequeat. Datur vero *Mercurius* a *Grano uno*, ad duo, quatuor, sex usque ad duodecim, et pro rerum circumstantiis, adhuc maiori quantitate, tali vero ratione, ut, si *salivationis* molimina apparuerint, per aliquot dies, *Mercurius* non porrigatur, et, si hoc non sufficit, *ecoprotice laxans* quoddam detur. Antea multi quidem etiam eo scopo, ei vel *Camphoram*, vel *Absorbentia* vel *Sulphur* addiderunt. sed haec omnia, uti *ASTRUC, VOGELIUS, SCHWEDIAVER*, alii probant, et nos experientia docuit,

mini-

minime *salvationem* avertunt, quod etiam de *Martialibus* vel aliis *Mercurio* additis valet. Minuendae et augendae dosis modum, quilibet Medicus in quolibet casu determinare debet, interpositis simul idoneis *Decoctionibus sanguinem purificantibus*. Caeterum, semper vitandum est, ne *diarrhoecae* sub eius usu oriantur: quia per has, sicut per *salvationem*, *Mercurius* nimis cito, quam iustum est, ex corpore expelletur. Qui *debilitata* habent *viscera*, et *alvum* semper *laxam*, insuper *Mercurialium internum usum* male ferunt, et in eis ideo *Inunctio* praefenda est. *Resolvendi* ob finem porrigitur *Mercurius* noster, a Grano uno usque ad quatuor, et commode ei *Sulphur auratum Antimonii*, vel *Kermes minerale* additur. Ut *antebelminthicum infantibus* ad id proprie idoneis additis *purgantibus* a Grano uno usque ad tria quidem datur; sed tamen, a crebriori *Mercurialium usu*, in tam teneris corporibus recte abstinendum est. In *hydrophobia*, a *morfu canis rabidi* orta, etiam *Mercurii dulcis* usus eximius invenitur, si alia debita iungantur; et quoque in *hydrope*, prudens eius administratio non inculpanda est; quia non solum *infaectus* et *obstructiones* solvit, sed etiam *viscidos* et *renaces humores* incidit, et *excretiones*, praesertim illam per *urinam* secundat. In *India orientali* in *hepatis inflammatione*, praemissa *Venaesectione* larga, et datis *Enematibus*, utilem repererunt Medici *Mercurium* nostrum a Grano uno ad quinque usque, inuncto simul *Vnguento Mercuriali* parti affectae. Ratione virium *Mercurii*, quas ad faciliorem *variolarum* decursum contribuit, si, ante earum eruptionem, ad aliquot Grana detur, valeant ea, quae §. 310. de *Aethiope Antimoniali* diximus. Ad sanandam *luem veneream infantum*, *nurricibus Mercurialia* erhibentur.

Sub huius vel aliorum *Mercurialium* usu, circa dietam, eius leges exacte observare debet aeger; abstinere nimirum ab omnibus *acidis*, *austeris*, *salsis*, *difficilis concoctionis* et *aere frigido*. *Primae viae* etiam, ante eorum usum *eccoproticis* probe liberaudae, in *plethoricis vena* secunda est, et per aliquot dies, *acres humores corrigena* e. g. *Serum Lactis*, *Decocra demulcentia* danda sunt. Non misceatur etiam *Mercurius* noster cum *Salibus*, unde *corrosivam* accipit indolem. Quia *dentes* valde laedit, *pilularis forma*, omnibus aliis praefenda est.

Caeterum *Mercurialium* usus vitandus est, in omni *humorum nimia solutione*, et *saburra acida* atque *austera*, in *primis viis* hospitante, uti quoque in *cancro*. *Arthritici*, *podagrici* et qui *debiliori nervorum systemate* praediti sunt, *hystericae*, *hypochondriaci*, *senes* et in genere omnes *debiles* pari modo

modo *Mercurialia* male ferunt, et *gravidis* etiam non improvide dentur, quia facile *abortum* promovent. Neque minus dentur tempore, quo *catamenia* fluunt, quia tunc *haemorrhagia lethalis* oriri potest. In genere observandum, *Mercurialium* usum potius restringere, quam ampliorem reddere, cuiuslibet prudentis esse *Medici*; quia frequentiori eorum usu, tractu temporis, tanta mala corpori inferuntur, quae tunc nulli fere remedio cedunt; ut sunt *dolores illi rheumatici* atque *arthritici*, qui a restanti in corpore *Mercurio* orti, tam frequenter animadvertuntur. Valde inde iam solendum est, quosdam ex *Chirurgis* nostris, et hos non solum, quin etiam *pueros puros Empiricos*, et alios homines vilioris conditionis, qui sibi impune occidendi facultatem sumunt, tam liberaliores in porrigendo nostro *Mercurio* conspici. Horreat vero animus noster, quando, suasu horum imperitorum, miseri aegroti ipsum *Mercurium sublimatum corrosivum*, sub forma *pilularum* sic dictarum *maiorum Hofmanni* ita devorare videntur, ut saepe intra parvum temporis spatium, plurimae *Drachmae* huius dirissimi veneni deglutitae sint. *Saluti publicae* certe prospiceretur, si *Pharmacopolis* interdictum esset, ad eiusmodi imperitorum praescriptum, tanta heroica et summe periculosa remedia, quae providum poscunt usum, parare et dispensare.

Externe ad *ulcera venerea* purganda sanandave, praefertim ea, quae circa *glandem* et *praeputium membri virilis* et in *genitalibus mulierum* oriuntur, adhibetur *Mercurius dulcis* tali modo, ut *Drachma* eius una, cum *Vnciis octo Aquae destillatae communis* misceatur. In *forma pulveris* etiam inspergitur *ulceribus venereis*, et in *maculis corneae* ad mentem *B. PLENCKII Mercurii dulcis* et *Albes ana Grana tria* cum *Sacchari albi* *Drachmis* duabus in pulverem subtilissimum rediguntur, et hic pulvis *Oculo* cum *penicillo madido* applicatur.

Tandem notandum, *Cl. CLARE* et *CRVIKSHANK Mercurio nostro* vel *cinereo* ad *morbos venereos* sanandos tali modo usos fuisse, ut quotidie *Granum* unum, duo vel tria cum *saliva* humectata, *digiti* ope, *labiis*, vel *linguae apici* et *internae buccarum superficiei* et itaque *glandulis* ipsis, quae *Salivam* fecerunt, *infricare* iubeant. Quo modo quidem *primae viae* non laeduntur, sed in sanando morbo tanta non praestat, quae hi *Viri* pollicentur. Vid. *die Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte. 6. B. 1. St.*

152. *Mercurius praecipitatus albus.*

§. 539. Rec., *Mercurii vivi depurati* *Vncias* quatuor.
Solve in

Aci-

Acidi Nitri Vncias octo;
 Solutum diluatur
Aquae communis destillatae Libris
 quatuor,
 et sensim ei insilletur sequentis *Soluti*,
 donec nihil amplius praecipitabitur.
Recipe, *Salis Ammoniaci* Vncias duas.
Salis Tartari depurati Vnciam unam.
 Solve in
Aquae communis destillatae Libris
 quatuor,
 et filtra.
 Si praecipitatio hac solutione finita est,
 adhuc ad perficiendam ulteriorem
 praecipitationem, solutioni mercuriali
 insilla
Liquaminis Tartari quantum sufficit,
 ad praecipitationem peragendam. Pul-
 vis albus ad fundum praecipita-
 tus, postea filtro chartuceo immitta-
 tur, et ita *Aqua frigida* affusa edul-
 coretur, ut *Aqua*, quacum *Mercurius*
 ablutus est, *Acetum Saturni* non tur-
 bet, si ei insilletur.

De probitatis notis vid. §. 533.

§. 540. Mitioris est indolis, quam *calcinatus ruber*;
 quoniam vero securiora pro interno usu habemus *Mercuri-*
ria, etiam hic tantum externe adhibeatur in *ulceribus*
veneris, praesertim ad *Vnguenta*, quae in *affectibus ocu-*
lorum veneris, et *scabie*, vel aliis *foedis cutis inquinamen-*
tis, e. g. *lichenibus*, *pruritu*, *herpete*, *exanthematibus serpi-*
ginosis, a *serophulosa materia* ortis etc. valent.

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER. Vid. N. 149.

153. *Mercurius sublimatus corrosivus.*

§. 541. Rec., *Mercurii vivi depurati* Vncias quatuor.
 Solve in *Cucurbita vitrea* in
Acidi Nitri Vncias octo.

Fiderit Pharmacia,

M

Eva-

Evapora ad siccitatem; deinde admisce, adhibita necessaria cautione, in mortario vitreo, vel lapideo, *Vitrioli communis calcinati*, *Salis communis probe siccata* vel multo magis decrepitati, ana Vncias octo. Hoc facto, *Vitra potionibus medicis* dicata, eum hoc mixto tali modo impleantur idque sublimetur, uti in *Mercurii dulcis* paratione §. 537. dictum fuit. Finita *sublimatione*, ex refrigeratis *vitris* massa eximitur, quae *albissima, splendens et compacta* esse debet: quoniam alioquin *sublimatio* repetenda est, ut hanc indolem acquirat.

Si *Carbonibus* iniectus odorem *Allii* spargit, *Arsenico* adulteratus est. Vid. etiam §. 537. Optime adulteratio cum *Arsenico* detegitur solutione in *Spiritu Salis Ammoniaci urinoso*, quae solutio, si adulteratus est, *flocculosa* evadit et *viridis*.

§. 542. Ad dirissima pertinet *venena*. Superiori quidem iam seculo fuerunt, qui tanquam summum contra *venereum virus* medicamen, inter arcana habuerunt; uti ex STEPH. BLANCARDI *Chirurgia* et R. WISEMANNI *Tract. de Lue venerea* apparet. HERMANNVS LEIDENSIS etiam eum in *gonorrhoea* in forma *pilulari* ad Grana duo pro dosi dedit, uti multi alii, praesertim autem *Empirici* et *Agyrrae* eo usi fuerunt, quorum aliquis, qui *Londini* vixerat, eum iam in *Spiritu Frumenti* solvebat. Summus vero BOERHAAVIUS quoque *internum* sed *providum* eius usum suadebat: Granum enim unum solvebat in *Aquae Vncia*, addito paucillo *Violarum Syrupi*, de quo *Medicamine* aeger bis terve in die *Drachmam* capiebat, ita ut in die circiter octavam tantum Grani partem acciperet. Primum vero inclaruerat eius *internus* usus, postquam illum *scientiae nostrae magni viri*, RIBEIRO DE SANCHEZ et L. B. a SWIETEN tam confidenter laudaverunt, ut etiam *Chirurgis exercitus caesarei* mandato iniungeretur, *Mercurium nostrum corrosivum* in morbis *venereis interne* adhiberi. Suasu SWIETENII eum etiam B. PRINGLE apud *Exercitum Britannicum* introduxit et sic post-

postmodum apud Gallos, Italos et in omnibus Europae regionibus usus eius celebris fuerat. Modus, quo *perill*. L. B. a SWIETEN eo uti praecipit, hic est. Solvuntur *sublimati* nostri Grana duodecim in *Spiritu Frumenti* Libris duabus, et huius *Mixturae* datur mane et vesperi Cochlear plenum, superbibendo Libram dimidiam vel integram *Decocti* cuiusdam *denuclentis*. Vid. SWIETENI *Epist. ad Benevenuto*. Sed quoniam in *Spiritu Frumenti* difficulter *Sublimatus* solvitur, facile magna eius portio ad fundum vitri remanet, unde aegris maximum detrimentum oriri potest. Melior inde est, ad exemplum BOERHAAVII, Grana duo *Sublimati* additis Granis quindecim *Salis Ammoniaci*, in Vnciis octo *Aquae destillatae communis* solvi. Quod vero nunc *internum* eius usum attinet, negare quidem nemo potest, hoc remedio saepe tales *morbos venereos* curatos fuisse, qui in alia *Mercurialia* rebelles fuerunt, et etiam haec *sanandi methodus* aegrotis hoc commodum affert, ut, quoniam *Mercurius sublimatus* nullas sensibiles *excretiones* per *cutim* movet, et raro *salivationem* excitat, non cogantur, se hypocausto calido includere, sed exeuntes rebus suis vacare possint. Interim etiam verum est, non omnem *morbum venereum* eo superari, multo magis in plerisque, qui hoc Medicamen accipiunt, non perfectam sanationem praestari, unde communiter morbus paulo post, quum sanatus videatur, cum nova ferocia recrudescat, et tandem non raro etiam cum nocere, praesertim, si tam imprudenter detur, uti a multis, qui se *curationibus medicis* immiscerent, vidimus. Speciatim notemus, abstinentum ab eo inprimis esse in illis aegris, qui *tussim siccam* habent, aut quibus *Solutio sublimati ardorem circa pectus* excitat; porro in eis, qui *haemorrhagiis* sunt subiecti; qui *debiles et irritabili nervorum systemate* praediti sunt, et in quibus *stirium, dolores capitis, tormina, diarrhoeas intermitticas, anxietates circa pectus, tussim ipsamque haemoptysin* creat. Non sine etiam fundamento IANNET DES LANGROIS in *tract. de phthisi* statuit, ex continuato huius *Medicaminis* usu, *pulmones* laedi, inde ex copiosiori et amplo huius *remedii* usu, ad magnam partem frequentiores *phthises* nostro saevo occurrentes derivat. Sic etiam *perill*. RICHTERVS et BRAMBILLA, ab usu eius *sputa cruenta* et *febres lentas, phthises* et alios noxios affectus viderunt, uti quoque in praxi nostra, ad minimum quinque vel sex *phthisicos* vidimus, qui morbum hunc ex nimio *Sublimati* usu sibi contraxerunt. Haec et alia; quae de eius noxiis effectibus, LENTINVS, CARTHEVSEVS, PRESSAVIN, CIRILLO, FORDYCE et inprimis CLADIVS, in *peculiari dissertatione de proscribendo*

potius quam praescribendo ulterius Mercurii sublimati corrosivi interno usu, proferunt, probe pensitata, non aliud evenire potest, quam ut hortemur omnes, qui praxin medicam exercent, ut, quantum possint, a Mercurii corrosivi interno usu abstineant, et loco eius mitiora et securiora adhibeant, idque eo magis, cum *illustr. SCHWEDIAVER* non sine fundamento arguit, magis sopire *venericum virus* hoc Medicamen, quam plane tollere et extinguere. Plane tamen usum eius, uti suafu *perill. L. B. DE QVARIN* in *nosocomiis austriacis* factum est, interdicere nihilofecius suademus. Caeterum, si ad sanandos *venericos morbos* praescribatur, ante eius usum, circa *corporis praeparationem et dietam*, ea quoque observentur, quae §. 38. de Mercurio dulci annotavimus, simulque iungatur abundans *Decoctorum demulcentium* usus. Dato hoc Mercurio, plerumque *urina* copiose fluit, et curatio modo primo iam mense absolvitur, modo vero usque ad tertium protrahitur. In alio morbo satis funesto, *carcinomate* nimirum, quoque *perill. L. B. a SWIETEN* medicamen nostrum laudavit et sequenti modo dedit: Mercurii sublimati Grana quatuor, in Libris quatuor Spiritus frumenti solvuntur, et mane et vesperi, ad Unciam unam, cum Decocto quolibet demulcenti diapnoico porrigitur. Certe vero magnus ille Medicus *ulcera venevea carcinomia* aemulancia, cum hoc confudit, in his enim Mercurius valere potest, neutiquam vero in *carcinomate* vero, in quo *Mercurialia* plane vitanda sunt. Vidimus tristissimos effectus, ex dato quodam Mercuriali, quod Empiricus quidam in cancro faciei nobili matronae dederat. Notandum tandem est, quod quanquam sublimatus in pilulari forma, ad mentem PETIT et *perill. HOFMANNI* cum mica panis facta, non tam facile ventriculum laedat, quam in solutione, tamen sub hac forma, uti patriae nostrae insignis Chymicus, Consiliarius aulicus MOENCHIUS probavit, de accurata portione sublimati, quam aeger accipit, incerti sumus, et si pilulae non recenter paratae sunt, tantam duritiem acquirunt, ut, uti *doct. GIRTANNER* animadvertit, integri canalem intestinorum transeant. Si itaque observetur, ventriculum a solutione laedi, quod continuam nauseam et ardorem excitat, nobis, nostro ex arbitrio, indicatur, a sublimati interno usu plane abstinendum, et in alio Medicamine iuvamen quaerendum esse: nequaquam vero sicut in multorum praxi, cum maximo aegroti detrimento observavimus, nunc clanculum, sub alia forma, venenum hoc, quod iam in strictissimo sensu evadit, aegris ingurgitare Auctores sumus.

Exter-

Externe in morbis cutis venereis, scabie venerea, herpete et aliis cutis inquinamentis, consulto ad mentem pervill. HOFMANNI adhibetur tali ratione, ut Scrupulus unus Mercurii sublimati in Aquae communis destillatae Vnciis decem solvatur. Caeterum vid. ea quae §. 342. de de Aqua phagedaemica diximus.

154. *Mercurius vivus depuratus.*

§. 543. Rec., Mercurii vivi quantum vis.

Immittatur Retortae terrae in Balneo Arenae positae, apposito simul excipulo, Aqua repleto. Igni subministrato, Mercurius in excipulum transcendit, qui finita destillatione separetur et usui servetur.

Signa characteristica Mercurii vivi puri et nullis aliis rebus inquinati, vid. §. 172.

§. 544. De Mercurii vivi usu interno vid. §. §. 310. et 532. In humoram impuritatibus, ad obstructions referandas, affectus venereos curandos, et vermes fugandos, quoque Mercurius vivus, Pilularum Massis, a Granis quatuor, sex, duodecim usque ad integrum Scrupulum et ultra additur. Optima eum adhibendi methodus est ea, quam B. PLENCKIVS descripsit, et haec est:

Recipe, Mercurii vivi depurati Drachman unam.

Pulveris Gummi Arabici Drachmas tres.

Terantur probe, donec omnes globuli mercuriales disparuerint, et tunc adde

Syrupi Diacodii Vnciam dimidiam.

Misceantur et conterantur in mortario marmoreo, donec Mercurius penitus in mucum abeat. Tandem aut dilue mucum hunc mercurialem cum Aquae cuiusdam destillatae vel communis Vnciis octo, aut formentur addita Micae panis albi Vncia dimidia ex eo pilulae, ponderis Granorum duorum.

Solutio datur bis terve in die ad Cochlear unum, pilularum vero, decem mane ac vesperi aeger capiat, et sic

pro rerum circumstantiis augendo. Eximie confert hic sic dictus *Mercurius gummosus*, ubi ob nimiam irritabilitatem *Salia* nocent, praesertim in *morbis oculorum venereis*. Etiam externe ad *lotiones* adhibuit cum PLENCKIUS, in *phimosis, ophthalmia venerea, ozaena cum lacte coctum* in forma *fomenti* seu *balnei*; sicut ad *injectiones* in *gonorrhoea* et *fluore albo*, uti quoque in *Gargarismatis* seu *Linimenti* forma in *angina venerea* et *ulceribus palati*. Facile *Mercurius vivus*, sive *interne* sive *externae* adhibitus, *salivationem* excitat, et itaque eo respiciendum est, ut additis, vel interpositis *purgantibus*, ei praecaveatur.

Modum, *Mercurium vivum* in *ileo* tali ratione adhibendi, ut usque ad integram Libram praescribatur, improbandum esse censemus. De viribus eius, ad *Lac* in *nutricibus*, vel prohibendum, vel augendum, si *Amuletorum* more adhibetur, nihil dicimus. Caeterum *Mercurius vivus*, ad *Vnguentum neapolitanum* venit, de quo suo loco agitur.

155. *Morsuli antimoniales Kunkelii.*

§. 545. Rec., *Sacchari albi* Libram dimidiam.

Coque in

Aquae fontanae Vnciiis quatuor

ad consistentiam *tabulati*, et adde

Antimonii crudi praeparati Vnciam unam.

Florum Cassiae, grosso modo tritorum,

Drachmam unam. Effunde sub per-

petua *spathulae ferreae* agitatione, ne

Antimonium ad fundum secedat, in

formam huic rei dicatam, et tandem

divide in *tabulas* seu *morsulos* Drachmarum duarum ponderis.

Vid. I. KUNKELII *Laborat. Chym. p. 437.*

§. 546. *Vires et usus* eorum diiudicantur ex eis, quae §. 313. de *Antimonio crudo* diximus. Duo vel tres horum *Morsulorum* in die dari possunt.

156 *Morsuli chinati.*

§. 547. Rec., *Sacchari albi* Libram unam.

Coque in

Aquæ fontanae Libra dimidia,
ad consistentiam *tabulati*, et adde
Pulveris Corticis peruviani Vncias tres.
Florum Cassiae grosso modo tritorum
Drachmas tres.

Effundè in idoneam formam, et fiant
Morsuli ponderis Drachmarum
duarum.

De usu vid. §. 463.

157. *Mucharum rosarum.*

§. 548. Rec., *Florum Rosarum pallidarum recentium*

Libram unam, in

Aquæ fontanae Libra una
per aliquot dies digere, exprime, co-
la et serva.

§. 549. Ad parandum *Mel Rosarum* inservit.

158. *Naphtha vitrioli seu Oleum vini.*

§. 550. Rec., *Acidi Vitrioli concentrati,*

Spiritus Vini rectificatissimi, ana Vn-
cias octo.

Spiritui, in lagenam vitream infuso
instilletur minutim *Acidum Vitrioli*.
Postea stent in cella, vel alio loco
frigido per quatuor hebdomadas, et
tunc ex *retorta vitrea* destilletur,
igne moderato ac debili, usque ad
dimidias. *Naphtha* dein separetur,
quae neque odorem *sulphureum*, ne-
que saporem *acidum* amplius possi-
det, *album colorem* habet, et nulla
ulteriori rectificatione indiget.

Ad residuum iterum

M 4

Spiri-

Spiritus Vini rectificatissimi Vnciae
quatuor

addantur, et *destillatio* repetatur, ubi
tunc rursus *Naphtha* acquiritur, quae
lege artis separetur. In *vitris probe*
munitis Naphtha usui fervetur.

§. 551. De *viribus* iam §. 518. loquuti sumus. Dan-
tur adhuc aliae *Naphtharum* species, ex quibus eae ex
Aceto et *Nitro* celebriores sunt. Nostro ex arbitrio hae
prae illis ex *Vitriolo*, non peculiarem praerogativam me-
rentur, quilibet vero eas, si desiderat, facile parare
potest, et quidem *Naphtham Aceti* ex mixtione partium
aequalium *Naphthae Vitrioli* et *Aceti concentrati*, et sic
Naphtham Nitri commixtis aequalibus partibus *Spiritus*
Nitri fumantis et *Naphthae Vitrioli*.

159. *Nitrum crystallisatum* seu *depuratum*.

§. 552. Rec., *Nitri communis* Libras tres.

Solve in

Aquae fontanae fervidae Libris duo-
decim.

Liquor adhuc calidus, per *chartam*
emporeticam coletur, et in loco frigi-
do reponatur, ubi tunc statim ele-
gantissimae, purissimae, satisque
densae ac longae *Crystalli pyramida-*
les oriuntur, quae colligantur, super
chartam emporeticam, in aëre libero
siccentur et usui serventur.

§. 553. *Sal hoc medium*, summas possidet vires *tempe-*
rantes, resolventes, antispasmodicas, carminativas et *anti-*
phlogisticas. Convenit ideo in *orgasmo sanguinis*, in *san-*
guine denso, in *morbis inflammatoriis* et *febris ardentibus*.
Quoniam *fibras nostras* insigni modo *relaxat* et *de-*
bilitat, in *affectibus spasmodicis*, praesertim *infini ventris*,
et *flatulentis*, saepe optimum affert auxilium, ex eadem
causa vero omnino plane vitandum est in *febris putri-*
dis et *malignis*; uti quoque in *hecticis* et *lentis*: quia eius
usu,

usu, *fibræ iam debilitatæ*, adhuc magis *relaxantur*. Eadem ex ratione, si in *hæmorrhagiis*, ad *orgasum sanguinis temperandum*, præscribitur, semper respiciendum esse, quilibet videt, ne detur insigni *fibrarum debilitate* iam præsentis, nec ea, ex nimio eius usu, inducatur. Præterea, *Nitrum vires ventriculi valde debilitat*: hinc eius usus, in *depravata digestionè*, in omnibus *diarrhois*, *dysenteris* et aliis *alvi fluxibus*, quoque follicite vitandus est. Cum vero in *primis viis cruda* incidit, *bilem* temperat, atque *alvum stimulando* follicitat; recte in *obstructionibus* et *segnitie alvi*, datur; præsertim, quando *spasmi* vel *summa fibrarum strictura* in causis sunt. Datur a Scrupulo usque ad Drachmam unam. *Faucium et tonsillarum inflammationi* in *Gargarismatibus* adhibetur, et *irritandi scopo*, *Enematibus*, a Drachmis tribus usque ad sex additur. Mira de *Nitri abusu*, qui tempore et suafu BACONIS VERVLAMII in *Anglia* invaluit, IO. HVMME-LIVS in *tract. de arthrit. p. 32. §. 19.* profert.

160. *Oleum absinthii destillatum.*

§. 554. Rec., *Summitatum Absinthii recentis, parum et modice vero siccatarum*, Libras viginti quinque;

Incisæ et conquassatæ macerentur per triduum in Aquas fontanæ Libris septuaginta quinque,

additis

Salis communis Libris tribus.

Destillentur postea e vesica, ad tertiam partem repleta, et Oleum, Aquæ innatans, separetur.

Eodem modo destillatur:

ex Floribus Chamomillæ romanæ, Oleum Chamomillæ; ()*

Floribus Lavendulæ, Oleum Lavendulæ;

Herba Menthæ piperitæ, Oleum Menthæ;

M 5

Her-

(*) *Oleum Chamomillæ successu temporis colorem suum æmoene coeruleum deponit,*

Herba Rutae, Oleum Rutae;
Herba Sabinæ, Oleum Sabinæ;
 et ex *Herba Tanaceti, Oleum Tanaceti.*

Triplici modo *Olea destillata* adulterantur: 1. Commiscentur cum *Oleis expressis*: quod detegitur, quando *Olei* guttulam, in *chartam papyraceam* infundimus, et haec tunc atramentum non admittit. Etiam quando *Oleum* destillatum in *Spiritu Vini rectificatissimo* solvimus, et ei admixtum *expressum* in parvas guttulas separatum apparet. 2. cum *Oleo Terebinthinae* adulteratur: quod tamen odor statim detegit, et 3. cum *Spiritu Vini* quandoque combinatur: quod experimur, si *Oleum* cum *Aqua* commiscuerimus, ubi tunc, si *Spiritus Vini* ei additus fuerit, *Aquam albam et lacteam* reddit.

§. 555. *Consueta Olea destillata* propinandi methodus est, ut, sub *Elaeofacchari* forma, dentur, sic, ut paucis exceptis, quae suis locis notabimus, ad *Sacchari canariensis* Vnciam unam, praescripti *Olei destillati* Guttas sedecim vel viginti veniant. Et haec portio plerumque quatuor doses exhibet, ita, ut aeger in qualibet dosi, *Olei* Guttas quatuor vel quinque capiat. Semper *Elaeofacchara* haec, quae vel sola dantur, vel pro corrigendo sapore vel etiam tamquam *coadiuvantia*, aliis remediis, in varia dosi adduntur, a *Pharmacopolis* ad praescriptionem recentia parentur.

Oleum Absinthii viridem habet colorem, et de amaritudine plantae participat. Convenit, in languore post febres, *concoctione depravata*, in *affectibus verminosis*, *spasms*, variis inde *evacuationibus praeter naturam ortis*, *torminibus*, *singultu*. Ad *vomitum* et *infini ventris spasmos* sistendos, conducit *Mixtura* sequens *concentrata*, de qua omni bivel trihorio Guttas quindecim, viginti vel triginta exhibeantur.

Recipe, *Olei Absinthii destillati* Drachmam unam.
 Solve in
Spiritus Vini rectificatissimi,
Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni ana,
Vncia dimidia.

Ex-

Externe etiam Oleum nostrum in doloribus ventriculi, diarrhoeis et ad lumbricos necandos, abdomini illitum prodest. Ascarides in intestino recto, iniectione adhibitum, non minus necat.

161. *Oleum amygdalarum expressum.*

§. 556. Rec., *Amygdalarum non rancidarum* quantum vis.

Contusas et sacco inclusas, prelo parum tepefacto sensim exprime, donec omne *Oleum* fuerit expressum.

Si expressio in prelo calido fit, plus Olei exprimitur, quam in frigido, verum subrancidum est, et non aeque mite. Frigida expressione tantum Vnciae duae ex *Amygdalarum* Libra acquiruntur. Si *Amygdalae* ante expressiorem decorticantur, submersione in *Aqua calida*, partes oleosae paululum rancescunt, quamobrem praestat, *Amygdalas* integras sumere, ope solum lintei rudis deterfas, ut pulvis adhaerens tollatur, quia alias *Oleum* tingeret. Perinde est, num ex dulcibus, an ex amaris *Amygdalis*, pareretur *Oleum*, quia unius naturae utriusque, quod largiuntur, est. Sed amarae duplo minus, solummodo quartam partem ponderis dant. Non in magna quantitate *Oleum* exprimatur, ut semper recens sit et non rancidum, si praescribatur. Aut ad quamlibet praescriptionem recens, vel in tam minima quantitate, quae non ultra aliquot dies durat, exprimendum est.

Pari modo oriuntur *Oleum Nucum juglandium*;

Oleum Lini et

Oleum Olivarum.

Haec vero *Pharmacopolae* non ipsi parant. Postremum ex *Italia*, *Gallia* et *Hispania* ad nos venit.

§. 557. Antequam rectum huius Olei usum indicemus, statim abusum notemus, qui eo peragitur, quando recens natus et puerperis, pro more consueto, porrigitur, ubi non solum ventriculum onerat et debilitat, sed etiam ob suburram illam, quae in recens natorum intestinis haeret, acrem induit indolem, hincque eos magis cruciat, quam quod eis proficit. Meliora, si remedia illa, quae benigna natura ipsa subministrat,

om-
do
et
ado
lvi-
pa-
tur:
Vi-
eum
i ei
dus
ex-
nsis
cim
tuor
ittas
aec,
vel
aria
re-
ritu-
bres,
va-
bus,
dos,
i bi-
ex-
a.
ana,
Ex-

strat, non sufficiunt, ad educendum *Meconium*, nobis restant. Pari modo non *puerperis* opitulatur, si in quolibet *puerperio* *Oleum* hoc porrigatur. Et datur eis itaque tantum tunc, quando a *stricturis dolorificis*, vexantur: ubi vero probe quidem respiciendum, ne *saburra biliosa*, vel *austera*, in *primis viis* haereat: quia tunc *Olea* rancidam induunt indolem. Idem valet, quando tanquam *emolliens*, *relaxans* et *obtundens* *Medicamen*, in illis casibus datur, ubi *crisparae* et *induratae partes* relaxandae sunt, e. g. *nephritide calculosa*, *colica spasmodica*, *tussi*, vel ad *acrimoniam* obtundendam, e. g. in *urinae ardore*, *pectoris asperitatibus* adhibetur. A Drachma una, usque ad dimidiam *Vnciam*, vel in *Emulsionibus oleosis* porrigitur, vel adhuc in maiori dosi, *Vncia* una nimirum in *insculo calido* exhibetur. *Vermibus oleosa* infecta esse, et ea tamquam potentissima remedia consideranda, quae eorum interitum promovent, et expulsionem efficiunt, omnibus notum esse putamus. Datur ideo eis qui *vermibus* cruciantur, etiam *Oleum* nostrum, in *insculo calido*, ab *Vncia* una, usque ad duas, imo plures. Consulto etiam *Clysmata* ex eo parantur, quae praesertim in cruciatibus, qui ab *ascaridibus* oriuntur, valent. Caeterum dolendum, quod largiori et continuato *Oleorum* usu, *primae viae* debilitentur, et hac ratione, generationi *humorum lentorum* et *pituirosorum* in *intestinis*, qui *vermium fomitem* constituunt, *ansa* praebeatur: et itaque, ex hac causa, usus *Olei* nostri omnino limitandus est. In casu sumti *Veneri rodentis*, *larga Oleorum* deglutitio, si mature dantur, obvolvendo *partes acres*, eorum funestos effectus ita impedit, ut, ad eorum plenariam destructionem et expulsionem tempus detur. In *Clysteribus*, qui *emolliendi* et *relaxandi* scopo, iniiciuntur, ab *Vncia* una usque ad duas additur. *Hydropicis* etiam *externe* abdomini utiliter *Olea* infricantur: quam methodum iam *prisca antiquitas* laudavit, et nostris temporibus *perill*. L. B. a *STOERCK* et *TISSOTVS* utilem invenerunt. *Auribus* nostrum *Oleum* instillatur ad *animalcula*, quae irrepsere, et *sordes* earundem *induratas* emolliendas. *Externe*, vel solum, vel cum *Camphora* aut *Spiritu Salis Ammoniaci*, in *pleuritide* et *peripneumonia pectori* inungitur, unde *dolores* sedantur, et bona insequitur *expectoratio*.

Easdem quidem vires habent, *Oleum Lini*, *Nucum iuglandium* et *Olivarum*, de singulis vero quaedam seorsim nobis monenda sunt.

Oleum Lini iam a *DODONAEO* et L. B. a *SWIETEN* in *passione iliaca* laudatur, sed *Cl. GALLÉSKY* in *der Abhandlung vom Miferere*, hunc usum, pluribus experimentis confirmavit. Non negamus quidem hunc laudatum effectum, sed

sed credimus vero, non in omni casu *Oleosa* talia conducere, et quando etiam profint, quaeritur, an *Lini Oleo*, prae caeteris singularis praestantia adscribenda sit? Hoc in praxi nostra certe invenimus, prae aliis *ventriculum* valde onerare, unde etiam sine dubio oritur, quod, uti *cl. BRVENING* observavit, saepe *nauseam* et *vomitum* excitaverit, alvo pertinacissime clausa relicta. Caeterum in nostro et *Olivarum Oleo* laudandum venit, quod ad induendam rancidam naturam, non tam prona sint, quam caetera.

Oleum Olivarum semper commode *Amygdalarum* vices explere potest: caeterum ad varia *Emplastra* et *Vnguenta* venit.

Oleum Nucum juglandium, prae aliis *Oleis*, contra *vermem solitarium*, quandam, uti *cl. LA CHAPELLE* vult, propriam et sibi privam vim possidere, non credimus. Caeterum in *leucomate* seu *albugine* *Oleum nostrum* recens, quovis die ad aliquot *Guttulas oculo* applicatum, praestans est.

162. *Oleum animale Dippelii.*

§. 558. Rec., *Olei Cornu Cervi foetidi*, quantum vis.

Leni igne, ex *Cucurbita vitrea* cum imposito *Alambico*, destilla, et quod primum exstillat *Oleum limpidum*, ab insequenti magis iam flavescenti, et ita secundum a tertio, mutato *excipulo*, separetur. Ad primam portionem limpidam plane rectificandam, una *destillatio*, leni igni influita, sufficit: posteriores vero, ut plurimum binas requirunt, in quibus itidem *pars limpida*, mutato *excipulo*, ab insequenti impuriori, separetur, et tali modo labor continetur, usque dum omne *Oleum, limpidum* et *album* fluit.

Ne color *limpidus* brevi tempore, accessu aeris, iterum in *flavescentem* et successive in *nigrum* mutetur, et *Oleum* pristinam turbidam et graveolentem resumat naturam, opus est, ut *vitris parvis*, Drachmam unam vel duas capientibus, plenis, probe et exacto obturamento et ligatura munitis, fervetur, et haec in arenam inverso modo ponan-

ponantur. Si nihilominus, tractu temporis, desideratum colorem limpidum amiserit, unica destillatione hic iterum restitui potest.

§. 559. IO. BAPT. HELMONTIVS in *Aurora Medicinae*, primus suavit Oleum Cornu Cervi foetidum rectificatione depurari. Post hunc I. C. DIPPELIVS commendavit Oleum suum animale in tractatu, qui inscribitur *Vitae animalis morbus et Medicina*. Primus celebre hoc Oleum fecit Berolini, Comes quidam de Wirrgensteiniorum familia, primis praesentis seculi annis, qui e stercore humano illud infinita fere rectificatione paravit, unde quoque notitiam I. C. DIPPELII, eodem tempore Berolini degentis, non effugit, qui statim intellexit ex qualibuscunque animalium partibus id parari posse. Nostram compendiosam hoc Oleum conficiendi methodum docuit MODELIVS in *Commerc. litter. Noric. Anni 1741. pag. 321. seq.*

Penetrans hoc Medicamen agit resolvendo, sudorem excitando et sedando. Post hoc Oleum assumptum, ut plurimum somnus longus sequitur, et aegri roborati expergefiunt. In Nervorum systema satis valide agit, et inordinatos Nervorum motus compefcit, hinc valet, et, uti observationes dignissimae et nostra etiam experientia testantur, profuit, in omni spasmodorum genere, passione hysterica, convulsionibus, epilepsia, et uti VATERVS, non incelebris olim Medicinae Doctor, in speciali Programmate de Olei animalis efficacia contra hydrophobiam et Lauro Cerasi Venenum docuit, in ipsa hydrophobia. Tanquam specificum remedium antepilepticum, crebra experientia comprobatum, commendat B. SPIELMANNVS. Praemittenda vero esse, quae scientia iubet, et absente plethora, vel vasorum turgescencia, Medicamen hoc administrandum esse, quilibet de ipso iudicabit. Quoniam insuper vis eius resolvens et antispasmodica insignis est, etiam in cephalalgia, hemicrania, otalgia, odontalgia, si a causis pituitosis vel spasmo ortae sunt, maxime valet. Itidem si plethora, vel insignis inflammatio illud non prohibeat, consulto detur in arthritide, podagra et rheumatismo. Efficaciam eius, quam in febribus intermittentibus praestat, B. HALLERVS in peculiari Dissertatione Anno 1747. Goettingae edita, laudavit. In iis praesertim febribus adhibeatur, ubi aegrorum in frigoris stadio certantium vires, eius violentiae succubituras esse, metuendum est; tunc enim mox ante frigoris paroxysmum datum, satis cito et actuose vires cordis auget, et salutarem sudorem producit: si aliquot horas ante accessum datur, saepe modo aegri paroxysmum sentiunt. In iuvenibus et plethoricis, eius usus valde limitandus, vel multo magis proferendus est. In oculorum suffusione illud valere, probat B.

BAV.

BAVMERVS in *Act. Mogunt. T. I.* ubi praeterea eius vires, quas in morbis spasticis et epilepticis exserit, satis validas confirmat. Tandem etiam ad taeniam expellendam a B. ROSENSTEINIO laudatur. Datur a Guttis decem usque ad quadraginta, vel in vehiculo largiori, vel Saccharo exceptas. Quandoque, bene ei *Liquor anodynus mineralis*, vel *Naphtha Vitrioli* adduntur.

Externe applicatum equidem vires eximias resolventes possidet, et in tuberculis, post morbos arthriticos non solum, sed etiam in topis, exostosis et glandulis induratis valet, uti quoque B. BAVMERVS l. c. testatur. Nobis ipsis *Beatus vir* dum viveret, confirmavit, in nominatis morbis semper de Oleo hocce maiora vidisse, quam de laudato *Cicutae Emplastro*. Consulto etiam *Oleum nostrum Vnguentis*, quae contra spasmos valent, et anodynam vim praestant, additur. Si *spinæ dorsii* hoc *Oleum*, ante febris paroxysmum, inungitur, in multum imminuitur frigoris sensatio: quod etiam *Oleum C. C. foetidum*, *Succini* et *Terebinthinae* praestant. Plura vid. in MAVCHARTI *Diff. de Oleo animali Dippelii Tübing. 1745. habita.*

163. *Oleum anisi destillatum.*

§. 560. Rec., *Seminis Anisi contusi* Libras quatuor,

Infunde cum

Aquae fontanae Libris sedecim.

Adde

Salis communis Libram unam.

Stent per triduum, tunc destilla e Vefica ad tertiam partem repleta, et

Oleum Aquae innatans separetur.

Eodem modo ex *Seminibus Foeniculi dulcis*, *Oleum Foeniculi* paratur.

Pharmacopoei non ipsi *Olea* haecce destillant, sed utraque ex *Thuringia* iam parata ad nos veniunt, ubi ex *Seminum paleis* destillantur.

§. 561. *Butyraceum*, album et penetrantissimum hoc *Oleum* possidet vires aromaticas, stimulantis et carminativas; hincque praescribitur in variis infimi ventris vitiis, e. g. torminibus, flatulentia, ventriculo debilitato. Additur etiam in *Elaeosacchari forma* ad corrigenda alia Medicamenta, praesertim commode *Ialappae Resinae* additur, et haec cum eo in mortario teritur, quia eam in corpore nostro solubiliorem reddit. An huius *Olei* Guttæ duodecim ad quindecim cum *Syrupo* quodam datae, uti *clar. MAIAVLT* vult, ad *Arsenici* dele-

deleterias vires obtundendas sufficiant? valde dubitamus. Caeterum in *ecchymosis*, si eis illinitur, et ad *tumores cysticos* resolvendos, praestantissimum exferit *Oleum* nostrum effectum. In *Clysteribus*, qui contra *spasmos* et *flatus* sunt, una cum *Oleo Olivarum* seu *Lini*, ad *Scrupulum* unum vel *Drachmam* dimidiam nostrum, vel *Oleum Edamovillae*, vel *Menthae*, loco consuetorum *Oleorum coctorum* addi possunt. Caeterum de *Oleo Anisi* adhuc notandum est, praesentaneum esse *columbis venenum*, si paucae *Guttulae* ipsarum *rostro* instillentur et *capiti* infricentur.

Oleum Foeniculi easdem vires possidet.

OLEVM CACAO EXPRESSVM. Vid. N. 48.

164. *Oleum caryophyllorum destillatum.*

§. 562. Rec., *Caryophyllorum aromaticorum* Libras duas.

Tritis affunde

Aquae fontanae Libras sedecim,

in quibus

Salis communis Vnciae quatuor solutae sunt.

Stent per aliquot dies in loco calido, postea destilla ex *Vesica* ad tertiam partem repleta, et quidem, quia *Oleum Caryophyllorum*, ob specifi-
suam gravitatem, difficilius ascendit, igne paulo fortiori; ubi tunc una cum *Aqua* *Oleum* prodit, quod sicut et *Oleum Florum Cassiae*, *Ligni Sassafras* et *Macis*, fundum petit.

Cumque *Caryophylla* vix unica destillatione omne *Oleum* dimittunt, secunda, quin tertia instituat *destillatio*, ita quidem, ut *Aqua* a priori *Oleo* separata illi adiciatur

Pari ratione destillentur:

ex *Floribus Cassiae*, *Oleum Florum Cassiae*,

et ex *Macis*, *Oleum Macis*.

Ut genuina habeantur *Olea* haec pretiosiora, *Pharmacopoei* ipsi destillare debent; omnia enim, quae ex *Batavia* advehuntur, adulterataprehenduntur. Adultera-

tera-

teratur vero *Caryophyllorum Oleum*: 1. *Oleo Amygdalarum*, quale maculam remittit, uti ab *Oleo alio unguinoso* luci immisum: quod *genuinum* nullam relinquit, sed omne avolat luci super immisum. 2. *Oleo Terebinthinae*, hoc remittit odorem *Terebinthinae*, volae manus immisum calidae, nauseosum, diu quidem, et non tam amoenum, uti in *genuino*, mox avolantem. 3. *Oleo Piperis iamaicensis*, ex quo Fructu enim destillatur *Oleum*, odore, colore et sapore *Oleo Caryophyllorum* haud dissimile: mox tamen haec adulteratio apparebit: *Oleum* enim *verum* et *genuinum*, colore magis sulphureo gaudet, saporeque longe vehementiori et aromatico. 4. tandem cum *Oleo Olivarum*, si autem quid huius suspecti *Olei* in loco frigido seponitur, tum protinus *Oleum Caryophyllorum* fundum petit, relicto *Oleo Olivarum* in superficie. Guttulis etiam aliquot huius fucati *Olei Caryophyllorum Spiritui Vini* instillatis, inque vitro bene agitatis, et *Spiritus Oleo* intime mixtis, *Oleum Olivarum* ob levitatem specificam in superficie forma globulorum lucescentium apparebit.

§. 563. Ob igneam seu causticam naturam, interne non detur, sed a Chirurgis, in carie ossium et sphacelo, veri ignis instar, magno cum effectu adhibetur. Gossypio instillatum denti carioso inditum, si nervum contigerit, eum certe destruit, et cariei limites ponit, haecque ratione a doloribus liberat. Sed cavendum, ne frequentiori huius, vel aliorum acrium *Oleorum* usu, dentibus sanis noceatur. *Oleum Florum Cassiae* et *Ligni Sassafras*, in carie ossium easdem vires habent: quapropter etiam praeclarae fide dignissimi TVLPII observationes, prius horum *Oleorum*, ad separandas partes cariosas tanquam potentissimum viribus, laudarunt et commendarunt. *Oleum Ligni Sassafras*, praecipue in carie venerea praestans est. Cacterum *Olea* haec Vnguentis nervinis adduntur.

165. *Oleum cerae destillatum.*

§. 564. Rec., *Cerae flavae* Libram unam.

Scindatur in frustula tam parva, ut Retortae orificio commode immiti possint, eisque repleatur ad dimidium. Tum infundatur

Fiderit Pharmacia,

N

Are.

Arenae purissimae tantum, quantum capit *venter Retortae*. Calefiat tum lente *Retorta*, donec *Cera liquescens arenam* sibi permiscuerit et eam imbibit; imponatur *furno arenae*, et applicato *Excipulo* instituaturn destillatio. Adhibito primo *leni ignis gradu*, prodire solet *Aqua acidula, foetens pauca*, una cum *Spiritu*; calore dein aucto, ascendet sensim *Oleum tenue*, et dum destillaverit, in *Excipulo*, instar *Butyri* concrescens; hoc, ubi ultra prodire negat, maior adhibendus est *ignis*, et *fortis* quidem *suppressionis gradus*, cuius opé mox ascendet sub *Butyri* forma, tota *Cerae* massa, in *Excipulum*. Sine ulla ulteriori additione, tandem iterum *Oleum* hocce destilla, *Oleum limpidum* et *tenue*, a *butyraceo* separa, et sic relictum serva.

§. 565. Tantas *vires balsamicas, detergentes et sanantes* possidet, ut in *vulnerum* curatione maximi usus sit, si modo ibi eius usus cavetur, ubi ingens *inflammatio* vel adest, vel metuenda est. Praesertim conducit ad *partes tendineas, manuum rhagades, fissuras oris labiorum, vel papillarum mammae, cutis maculas, eius asperitudinem* et ad ipsos *peruiones*. Vid. H. BOERHAAVII *Elem. Chym. Part. II. proc. 36. et 37.* Prodest etiam in *ankylosi*, ad *tendines contractos* lubricandos, et abdomini illinitum in *colica flatulenta* et *affectibus hystericis*. *Inrerne* quidem a *Guttis* tribus ad sex datum, satis valide *urinam* pellit; sed ob nimiam eius acrimoniam, non huic scopo adhibendum esse, censemus.

166. *Oleum chamomillae destillatum.*

§. 566. Vid. §. 554. *Vires carminativas, antispasmodicas* atque *anodynas* exferit, et inde, in *affectibus flatulentis, in morbis spasmodicis*, praesertim qui ab *inordinatis haemorrhoidum, et menstruorum fluxibus* oriuntur, §. 555. praescripto modo datur. Vid. etiam §. 561.

167.

167. *Oleum cornu cervi foetidum.*

§. 567. Rec., *Cornuum Cervi* frustulatum concisorum, quantum vis.

Immitte *Retortae lutatae*, alembico terreo vitreato munitae, ac igne aperto, gradatim procedendo, adeo ut tandem *Retorta ignita* plane compareat, rem administrato. Sic prodibit, adhibito gradu primo, *Phlegma*, secundo ac tertio *Sal volatile* et *Spiritus*, itemque *Oleum empyreumaticum subtilius*; quarto tandem, *Oleum foetidum, crassum, nigricans*. Omnia singulorum graduum, mutato Recipiente, a se invicem separentur. *Sal volatile* dein sublimetur et tali modo rectificetur, et *Spiritus* quoque de novo abstrahatur.

Spiritus Cornu Cervi, quandoque addita *Calce viva* adulteratur, quod detegitur, quando ex additione *Spiritus Vini rectificatissimi* non statim praecipitatum sequitur, quod enim oritur, et supra ignem iterum evanescit, si *Spiritus* sincerus est.

§. 568. *Interne* non adhibetur, sed *externae* praesertim in pauperibus, loco *Olei animalis Dippelli* adhiberi potest. *Mulieribus hystericis* pro odoratu convenit.

168. *Oleum corticum aurantium expressum.*

§. 569. Quoniam *Olea*, quae in *Italia* et *Gallia*, ex *Corticibus Aurantium* et *Citri*, per *expressionem* parantur, et ad nos sub nominibus *Olei Neroli* et *del Cedro* inde advehuntur, valentiora et suaviora nostris *destillatis* deprehenduntur; consultum putamus, *Olea* haecce *Pharmacopoeos* nostros sibi inde procurare.

§. 570. Tanquam *nervinum, antispasmodicum* et *stimulans* conducit hoc *Oleum*, in omnibus *infimi ventris*

affectionibus, qui a *spasmodis* et *flatibus* ortum suum ducunt; uti quoque *hystericis*, quando eis *suaviora Medicamina* non plane contraria sunt, valde proficuum conspicitur. Pro *Sacchari* Vncia una, *Guttae* eius duodecim sufficient. Pro

Oleum Citri cum nostro quidem convenit, viribus tamen multo debilius est. Cum *Elaeosaccharis*, ex his *Oleis* paratis, alia *Medicamenta* gratiora redduntur, et *Purgantibus* addita, eorum vires aliquo modo corrigunt. Huic scopo, in *Pharmacopoeis*, *Saccharum canariense*, *Pomis Aurantium* vel *Citreis* affricatur, donec odore et sapore bene imbutum sit.

169. *Oleum corticum citri expressum.*

Vid. §. §. 569. et praec.

170. *Oleum florum cassiae destillatum.*

§. 571. Vid. §. 562. Vires huius *Olei*, quod loco *Olei Cinnamomi* est, *roborantes*, *stimulantes*, *celeriter rescipientes* et *nervinae*, omnia superant. Locum ergo habet in *collapsis gravidarum*, *parturientium* et *puerperarum viribus*; quando nulla *febris*, vel *inflammatio* subest, aut *sanguinis immoderatus fluxus* e. g. *mensium*, *lochiorum* etc. metuendus. Porro etiam eximie conducit, in *affectionibus spasmodicis infimi ventris*, qui a *retrogressa materia arthritica*, *podagrica*, vel *rheumatica* orti sunt, et in *lipothymiis* valet, quae eos frequenter aggrediuntur, qui, toleratis morbis insignem virium defectum perpeffi fuerunt. Quia hoc, sicut et *Oleum Macis* et *Ligni Sassafras* ad summe calida pertinet, in *iuvenibus* et *plethoricis*, circa eorum usum magna cautio adhibenda est. Insuper *Oleum* nostrum, valentissimam *vim aphrodisiacam* praestat. Ob memoratam nominatorum *Oleorum* calidam naturam, tantum *Guttae* octo ad *Sacchari* Vnciam veniunt. Tale *Elaeosaccharum* vel solum vel cum *Aqua* quadam *destillata grata* exhiberi potest. In celebri *Pulvere solavi Cellensi*, *Oleum Cinnamomi*, seu nostrum *Florum Cassiae* solum, vires laudatas exferit. De externo *Olei Florum Cassiae* usu, vid. §. 563.

171. *Oleum foeniculi destillatum.*

Vid. §. §. 560. et 561.

172. *Oleum hyperici infusum.*

§. 572. Rec., *Florum Hyperici recentium parum siccatorum* Libras tres.

Vini

Vini albi Libram dimidiam.

Olei Olivarum Libras duas.

Stent per aliquot dies in loco calido
in *infusione*, postea exprimendo co-
la, et adde

Terebinthinæ Libram unam.

Serva ad usum.

§. 573. Ad optima pertinet *vulneraria*, et *balsamica*,
quæ *vulnerum* et *ulcerum* sanationem promovent. Possi-
det insuper, si *vulneribus* applicetur, in quibus *nervorum*
laesio adest, tantam *vim anodynam*, ut applicato eo, satis
cito symptomata, quæ inde oriuntur, cessent. Pro
parvis vulneribus, tanquam domesticum remedium,
nihil pulchrius invenitur.

173. *Oleum lavendulae destillatum.*

§. 574. Vid. §. 554. Ob *virtutes nervinas*, inservit
eis *Vnguentis* conficiendis, quæ talem virtutem habent.

174. *Oleum lauri expressum.*

§. 575. Rec., *Baccarum Lauri maturarum, recen-*
tium, quantum vis.

Tritæ in *Aqua fontana* coquantur,
et fortiter exprimantur, et refri-
geratum *Oleum*, pinguedinis instar,
Aquæ supernatans, colligatur.

Raro vel nunquam apud nos paratur, sed ex *Insulis*
fortunatis et ex *Italia* nobis adfertur.

§. 576. *Vires* possidet *discutientes, nervinas, carmina-*
tivas, roborantes et *sopientes*. Valet *externæ* ad *spasmos*,
flatus, colicam flatulentiam, ad *lumbricos infantum*; prae-
sertim vero, ad *roborandos articulos, nervos* et *tumores*
frigidos resolvendos. In *affectibus uteri spasmodicis* et
ischuria quoque utiliter *renum* et *pubis regioni* infricatur.

175. *Oleum ligni sassafras destillatum.*

§. 577. Rec., *Rasuræ Ligni Sassafras* Libras sex.

Aquæ fontanae Libras triginta sex.

Salis culinæ Libram unam.

Macerentur per quatuor dies in loco calido, postea destillentur ex *Vesica*, ad tertiam repleta: sic prodit *Oleum*, quod uti iam §. 562. notatum fuit, non more aliorum, in superficie natat, sed fundum perit.

§. 578. *Penetrantissimum, alicuosissimum et summe stimulans Oleum* est, quod simul *cacochymicos, pituitosos humores* corrigit, et tunc praesertim datur, quando *humorum motus ad corporis peripheriam* augendus est. Valet igitur in *morbis arthriticis, podagricis, rheumaticis*, non rite procedentibus, in *impuritatibus humorum pituitosis et venetis*; praesertim, quando languens natura stimulanda et excitanda videtur. De *dosi* vid. §. 571. et de *usu externo* §. 563.

176. *Oleum lini expressum.*

Vid. §. §. 556. et 557.

177. *Oleum macis destillatum.*

§. 579. Vid. §. 562. *Carminans et roborans* est, quod praesertim ad *ventriculi dyspepsiam*, in *diarrhoeis et affectibus flatulentis* valet, si necessaria praegressa sunt. De *dosi*, qua exhibendum, vid. §. 571. Etiam *externae* adhibitum et *ventriculo* illinitum, *vim roborantem et carminativam* praestat. *Unguentis nervinis* quoque additur.

178. *Oleum menthae destillatum.*

§. 580. Vid. §. 554. *Stomachum* roborat, *flatus* pellit et *spasmos* lenit; ideoque datur praemissis praemittendis, ad *vomitum* sistendum, *singultum* compescendum, in variis *diarrhoeis, cholera* et in *affectibus spasmodico flatulentis*. Valet etiam in *dolorifico spasmodico mensium* fluore.

179. *Oleum nucum iuglandium expressum.*

Vid. §. §. 556. et 557.

180. *Oleum nucis moschatae expressum.*

§. 581. Rec., *Nucum Moschatarum* quantum vis.

In *frustula* redigantur, *sacculo* includantur, qui tunc super *vaporem Aquae* ser-

ferventis aliquamdiu exponitur, et
deinde *prelo Oleum* exprimitur.

Raro vero apud nos paratur, sed plerumque ex *India* advehitur, ubi pari modo ex *Nucibus moschatis* confusis, *Aquae ferventis* vapore irrigatis, dum adhuc calent, *Oleum* hocce exprimitur. Duae huius *Olei* dantur species. Prima et optima, ex *India orientali* in vasis elegantioris fabricae ad nos venit; *molle* hoc est, *flavum* et odore *Nucis moschatae* penetrantissimum. Haec species raro reperitur et rarioris est pretii. Altera, communis, quae ex *Batavia* ad nos adportatur, *massa dura* est *coloris ex rubro flavescentis*. Adulteratio huius *Olei* difficile detegenda est; *color pallidior* et *debilior* odor eam suspectam redunt. Adulteratio cum *Cera flava* cognoscitur ex *maiori duritie*, *colore atro flavo*, et quando *Oleum* affusum *Spiritu Vini rectificatissimum* non totum in se recipit et ille omne residuum solvit, quod in *sincero Oleo* observamus.

§. 582. *Vires roborantes, sistentes et anodynas* habet, si *externe* in *diarrhoeis*, *vomitibus*, *ventriculi debilitate*, *torminibus*, *affectibus flatulentis*, vel aliis *concoctionis viarum* vitiis, *ventriculi regioni* applicetur. Adhibendum vero tantum esse, *evacuatis antea primis viis*, et non, uti multi *Agyrtarum*, *Empiricorum* et *muliercularum*, in *diarrhoeis* et ipsis *dysenteris* faciunt, statim ab initio, quando corpus adhuc *humoribus peccantibus* scater, quilibet videt, qui aliqualem nostrae scientiae notitiam habet. *Temporibus* illinitum in quibusdam, praesertim in *infantibus*, *somnum placidum* conciliat. Si per aliquod tempus, antequam hyeme frigus intrat, *digitis pedis* semel in die hoc *Oleum* infricetur, *perniones*, alias omni hyeme revertentes, praecavet. Caeterum inservit pro *Balsamorum corpore*, ita quidem, ut ad *Drachmas* quinque huius *Corporis*, *Olei destillati* cuiusdam *Drachmae* duae veniant.

181. *Oleum olivarum expressum.*

Vid. §. §. 556. et 557.

182. *Oleum ovorum expressum.*

§. 583. *Rec.*, *Ovorum recentium* quantum vis.

Coque ut indurentur. Postea *Vitellos* exime, contritos atque in *sartagine*, donec rufescant, et pinguedinem

quandam emittant, leniter affatos, adhuc ferventes et forti sacco inclusos, exprime et *Oleum* serva.

§. 584. *Blandum et demulcens Oleum* est, quod ubique convenit, ubi aliquid *leniendum* et *obtundendum* indicatur. Adhibetur ideo praesertim, ad *ambusta*, *haemorrhoides dolentes*, *ani* et *genitalium excoriationes*, ad *papillarum* et *labiorum fissuras*. Ad implendas *foveas*, quae post *variolas* remanent, male adhibetur: quia *maculas flavescentes*, faciem defoedantes, post se relinquit.

183. *Oleum rutae destillatum.*

§. 585. Vid. §. 554. *Interne* datum, satis actuose *sudorem* pellit, *spasmos* lenit, et *mensium fluorem* promovet. Valet ideo in *affectibus hystericis*, *mensium ataxia*, *morbis spasmodicis*, et ubi in *statu phlegmatico*, aliquid praeternaturale in corpore haeret, quod *sudore* expellendum iudicatur. *Vermibus* etiam contrarium est, unde *infantibus* hoc scopo exhiberi potest.

184. *Oleum sabinae destillatum.*

§. 586. Vid. §. 554. Tam potenter *sanguinem* movet, *circulum* eius auget, et in *uteri vasa* cum tanta violentia agit, ut eius usus summam desideret cautionem. Datur itaque quando eo *mensis* provocare nobis est animus, tantum in *summe phlegmaticis corporibus*, et ubi *humorum pituitosorum copia* eos retinet. Caeterum in *paralyse*, ubi *partes languidae* fortiori stimula excitandae sunt, bono cum effectu datur, etiam ad *certissima* et *potentissima* pertinet *anthelminthica*. Vnciae uni *Sacchari*, tantum *Guttas* sex huius *Olei* tam valde *stimulantis*, *adultis* pro tribus; *infantibus* vero, pro sex dosibus, praescribantur. Exhibetur etiam ad *Guttas* duas tresve in *Ovo sorbili*. Quid de *Sabinae vi foetum pellendi* sentiendum, hic non diiudicamus; nobis annotare sufficiat, *sub quibusdam conditionibus certis, talia remedia dari, et nostrum Medicamentum ad potentissima pertinere moventia*, hincque consultum iudicamus, *Pharmacopoeis* interdicere, tanta heroica non pro quolibet homine, praesertim *feminis non maritatis*, dispensare. *Vires*, quae ei ad *foetum mortuum* expellendum, adscribuntur, dubias tamen iudicamus. Si haberet eas, tamen hodierna sanioribus et melioribus principiis superstructa *Obstetricandi scientia*, multo tutiora eaque certiora reme-

remedia suadet, quam talem methodum, quae cum matris gravissimis periculis coniuncta est.

Externe Oleum nostrum, et herba Sabinæ pulverata, contra cariem ossium magnam efficaciam possident, et non satis laudari possunt. Ulcera etiam a vermibus praemuniunt, carnem luxuriantem absumunt, et in genere in ulceribus putridis conducunt.

185. *Oleum saturni.*

§. 587. Rec., *Sacchari Saturni* Vncias quatuor.

Superaffunde

Spiritus Terebinthinae Vncias octo.

Digere per aliquot dies, donec *colorem rubrum* acquisiverit.

§. 588. In *ulceribus depascentibus, membranarum et tendinum vulneribus* eximii est usus.

186. *Oleum succini rectificatum.*

§. 589. Rec., *Succini contusi,*

Arenae, ana Libras tres.

Ex *Retorta capaci, Arenae* igne gradatim adhibito, destilletur. *Vas recipiens* cum *Aqua calida,* ad *Sal volatile* in ea solvendum, eluatur, quae per *chartam emporeticam* prius aqua madefactam, ab *Oleo* separetur, et post factam eius exhalationem, *Sal* colligatur, quod *sublimatione* rectificetur et sub titulo *Salis Succini volatilis* usu fervetur. *Oleum* deinde misceatur cum

Cinerum partibus duabus,

et *Retorta* lento igne destilletur, et *Oleum limpidum* primo exstillans *album,* ab insequenti *rubro,* separetur, alterumque de novo *rectificetur,* ut omnia *limpida* et *alba* evadant; quae ferventur.

In labore hocce, etiam *Salis* pars, dum *Oleum* fluit, sublimatur, quod a parietibus vitri auferatur.

Ob caritatem pretii, nam sexagesima tantum pars *Salis* ex *Succino* obtinetur, quandoque vel *Sale Ammoniac*, vel *Crystallis Tartari*, vel aliis *Salibus medicis* adulteratur. In priori casu, cum *Alkali fixo* mixtum, *urinosum* spirat odorem, et in posteriori, super ignem detentum, non totum volatile avolat.

§. 590. Tam *Oleum*, quam etiam *Sal volatile*, magna sunt et potentia *Medicamenta moventia, stimulantia* et *resolventia*, quas varias corporis excretiones, *Judoris* praesertim et *urinae*, potenter promovent. In variis ideo morbis retrogressis, vel non rite succedentibus, e. g. *arthritide, podagra, rheumatismo, exanthematibus variis*, certissimum et satis cito auxilium afferunt, et *sudore excitato*, qui *empyreumaticum odorem* spargit, hos morbos pro-vel revocat. Non minus laudandae eorum *vires antispasmodicae*, quas exerunt, si in *affectionibus hysteris, convulsivis* et *epilepticis* dantur; et quoniam *nobiliora stimulantia* vix habemus, eorum usus etiam in *affectionibus paralyticis* et *apoplecticis serosis* valde suadendus. In *spasmodis hysteris* sistendis et ad *urinam* pellendam, quando a *spasmo* retinetur, recte AGRICOLA et BOERHAAVIUS *Succini Sali* quandam propriam efficaciam adscripserunt, unde etiam *Bataavorum* ille HIPPOCRATES illud *diureticorum et antihystericorum principem* nominat. A *Guttis* quinque usque ad octo, quidem etiam hocce *Oleum interne* exhiberi potest, quia tamen in plurimis casibus, illud multo calidius apprehenditur, quam prodest, ut plurimum *Salis volatilis usus internus* praefendus, quod a *Granis* duobus usque ad decem, et, si probe ab adhaerenti *Olei stimulantis*, quod diligenti *rectificatione* acquiritur, liberatum fuit, usque ad integrum *Scrupulum*, vel cum *Vino* vel *Aqua* destillata quadam dari potest. In genere enim *Salia volatililia* praescribendi methodus optima est, ut in vehiculo appropriato dentur, quia in *pulvere seu pilularum forma* multum de eis avolat.

Sal Cornu Cervi eandem indolem habet, et notari de eo meretur, SYDENHAMO et BOERHAAVIO suadentibus, ad *morbos arthriticos* et *podagricos* averruncandos, nihil praestantius inveniri, quam si ad *diapnoen* excitandam, in horis matutinis, aegris, *Grana* duo huius *Salis* exhibeantur. In *sphacelo*, praesertim illo, qui *senes* aggreditur, utraque *Salia* divina sunt remedia, et saepe ipsius *Corricis* vim superant. In *februm malignarum summa debilitate*, ad *pulsus* erigendum, in *morbis biliosis* et *putridis*, uti etiam ad *exanthemata febrilia* pro-vel revocanda, *Sal Succini* ob *acidam suam indolem*, *Sali C. C.* omnino praefendum est. Si haec *Salia* ad
exem-

exemplum ROGERII BACONIS et HVXHAMI, cum *Aceto Vini* digerantur et destillentur, *gratiora*, multo vero etiam *debiliora irritantia*, quamquam contra *putredinem valentiora*, evadunt.

Spiritus Cornu Cervi rectificatus in iisdem morbis, in quibus *Sal volatile* laudavimus, a Guttis viginti usque ad sexaginta dari potest; *maiores* autem, propter oleosas cum eo combinatas partes, *calorem* in sanguine excitat. In genere, circa horum *remediorum stimulantium usum internum*, adhuc inculcamus: non danda, ubi *motus humorum celerior* conspicitur, ubi *plethora* adest, quando in *primis viis saburra viscosa* haeret, et ubi *tonus fibrarum integer et floridus* apparet. Vitanda ergo sunt praesertim in *juvenibus, sanguineis, plethoricis et biliosis*.

Externe Oleum Succini summas exferit vires *resolventes et antispasmodicas*, et eadem ex causa in *spasms, paralyti* et *tumoribus frigidis* cum maximo effectu infricatur. *Temporibus applicatum, dolores capitis a causa serosa* ortos, praesertim *hystericos*, saepe supra omnem expectationem, quam celerissime tollit. Utile tunc, cum *Corpore pro Balsamo in Balsami* formam redigitur. Ex aequalibus partibus *Olei et Spiritus C. C. Linimentum* parari potest, quod si pannus eo irrigatur, et omni quadrihorio circa collum applicatur, in *angina*, uti B. PRINGLE aliique observarunt, maximi est usus. Convenit praeterea cum *Oleo animali Dippelii*, de quo vid. §. 559.

187. *Oleum tanaceti destillatum.*

§. 591. Vid. §. 554. *Vires roborantes*, et praesertim *antihelminthicas* habet, et ideo scopo posteriori ut plurimum sub *Elaeosacchari* forma exhibetur, vel aliis *antihelminthicis* additur. Etiam *externe abdomini illinitum, vim antihelminthicam* praestat.

OLEVM TARTARI PER DELIQUIVM Vid. N. 140.

OLEVM TEREBINTHINAE, Vid. *Spiritus Terebinthinae*.

OLEVM VINI. Vid. N. 158.

OLEVM VITRIOLI. Vid. N. 10.

188. *Oxymel aeruginis. Vulgo Vuguentum Aegyptiacum.*

§. 592. Rec., *Viridis aeris pulverati* Vncias tres,
dilue cum

Aceti Vini boni Vncis quatuor.

Postea per setaceum traice, adde

Mellis erudi Vncias octo,

et

et coque ad *Mellis crassioris* consistentiam.

§. 593. Antiquissimum hoc Medicamentum, cuius iam HIPPOCRATES meminit, ad purganda ulcera sordida, saniem siccandam, et luxuriantem carnem prohibendam et absumendam, utiliter *plumaceolis* ad ulcera applicatur. In *gangraena* et *sphacelo* ei praeterea *Saturnina* addi possunt. Cum *Melle rosato* mixtum etiam in *gingivarum ulceribus putridis* valet. Videatur vero ne *ossibus nudis Oxymel* applicetur.

189. *Oxymel colchici.*

§. 594. Rec., *Aceti Colchici* Libram unam.
Mellis Libras duas.

Misceantur; supra *leni igne* coque in vase *figulino* ad *Mellis* consistentiam et cola.

Pari modo cum *Aceto Squillitico*, *Oxymel Squilliticum* paratur.

De viribus *Oxymellis Colchici* Vid. §. 284.

190. *Oxymel simplex.*

§. 595. Rec., *Aceti Vini* Libras duas.

Evaporetur ad dimidiam partem, et tunc adde

Mellis Libram unam.

Coque in vase *figulino* ad *Syrupi* consistentiam.

De usu vid. §. 293.

191. *Oxymel squilliticum.*

Vid. §. 291. et 594.

192. *Pasta de althaea.*

§. 596. Rec., *Radiciis Althaeae aerecentis in taleolas dissectae* Vnciam unam. Ebulliat in *Aquae fontanae* Libris quatuor ad partis dimidiae consumptionem. In colatura quodlibet seorsim dissolve,

Gum-

Gummi Arabici purissimi,
Sacchari canariensis, ana Libram unam.
 Colentur et colatura igne lento, ad
Extracti consistentiam, continuo
 spathula eam movendo, redigatur.
 Tunc ab igne remota Massa agite-
 tur multum et celeriter, quo al-
 bescat, subinde adspargendo
Albuminum duodecim Ovorum recen-
tium in spumam conquassatorum,
Aquae Naphae Vnciam dimidiam.
 Inspissentur lento calore sub perpetua
 agitatione, donec manibus nihil am-
 plius adhaereat, deinde effundatur
 in laminam, conspergatur
Amyli quantum sufficit, et lege artis
 siccetur et fervetur.

§. 597. In *tussi acri, rauedine et catarrhorum defluxio-*
nibus, humores acres, salsos, irritantes demulcet, et inde
 hos affectus mitigat. Eundem usum habent, *Trochisci*
bechici albi et nigri.

193. *Pilulae ephracticae seu poly-*
chrestae.

§. 598. Rec., *Extracti Acetosellae,*
Chamomillae,
Gentianae,
Marrubii,
Myrrhae ana Drachmas duas
 et Scrupulos duos.
Aloës aquosae Vnciam dimidiam.
Gummi Ammoniacy Drachmas duas et
 Scrupulos duos.

Misceantur et fiat *Massa pilularis.*

§. 599. Alterum *polychrestarum Pilularum* titulum ideo
 retinimus, ut *pharmacopolae* vulgi petitionibus, qui tales
Pilulas sub hoc titulo exposcunt, satisfacere possint. In
 ob-

obstructionibus infimi ventris, tanquam incidentes, aperientes et resolventes praescribantur; alvum simul leniter ducunt et sanguinis profusiva proritant. Ordinaria harum Pilularum dosis, pro adulto, Drachma dimidia est, ad quam Extractorum amarorum et Gummi Ammoniaci Grana viginti quatuor, seu de quolibet Grana quatuor et de Extracto Aloës Grana sex veniunt. Quando haemorrhoidum vel mensium fluxus maiori stimulo provocandus est, Extracti Hellebori nigri Grana duo pro dosi addi possunt. In obstructionibus hypochondriacorum, et ad proritanda menstrua in chloroticis, Extractum Martis, ad Grana sex cum Pilulis nostris combinatur. Si maior laxandi, vel multo magis purgandi vis desideratur, Pilularum nostrarum et Extracti Panchymagogi aequales partes misceantur.

194. *Pilulae mercuriales seu Pulvis alterans.*

§. 600. Rec., Mercurii dulcis rite parati Drachmas duas.

Sulphuris aurati Antimonii Drachmam unam.

Resinae Guaiaci Sesquidrachmam.

Misceantur fiat pulvis, et ad praescriptionem cum Spiritus Vini sufficienti quantitate fiant Pilulae.

§. 601. Conveniunt hae Pilulae vel Pulvis fere in omnibus cum Pulvere illo alteranti, quem PLUMMERUS in *Act. Edinburg. T. 1.* descripsit, et divinus noster WERLHOFFUS in *Spec. 1. de Medic. alter. ex Mercurio*, tanquam praestans resolvens in variis obstructionibus viscerum, scirrhis, in morbis venereis, uti et aliis lymphae impuritatibus, ad corrigendam humorem labem, summo cum iure laudavit. Non solum corrigit humores peccantes, resolvit obstructiones, sed etiam per sudorem agit, et hoc modo saepe cachexias, hydropem, viscerum obstructiones et ipsos incipientes scirrhus sanat; si per aliquod tempus huius Medicamenti usus continuetur. In morbis venereis, praesertim bubonibus et scabie venerea praestantissimum semper invenimus, quando eo sic uti sumus, ut interdum Purgans quoddam tunc interposuerimus, quando Salivationis molimina apparuerint. Exhibemus in principio

Pilu-

Pilulas seu Pulverem ad Grana quatuor, et progressu temporis, saepe usque ad integrum Scrupulum, dosin hanc augeamus. Si Granis sex vel octo harum Pilularum, Extracti Panchymagogi Drachma dimidia additur, Pilulas mercuriales purgantes habemus. Quanquam, ob admixtum Guaiacum, Pilulae hae in humorum lentore et humoribus viscidis, intingem effectum praestant, tamen, ob huius Guaiaci indolem calidam, in plethoricis et exsuccis cum aliquo moderamine exhibendae sunt.

Auctor Libelli germanici, *Fragmente zur Arznei- und Naturkunde und Geschichte*, qui anno 1780 Franc. ad Moen. prodiit, perhibet, se ante XL annos, a Consiliario aulico et Archiatro Serenissimi Landgravii Hasso-Homburgensis KAEMPPIO, descriptionem Pilularum accepisse, quae ex Mercurio dulci, Sulphure aurato Antimonii, Pilulis polychrestis et Gummi Guaiaci compositae et cum Essentia Succini in Pilularum formam redactae fuerunt.

195. *Pilulae squilliticae.*

§. 602. Rec., Gummi Ammoniaci,
Radicis Squillae recentis, ana Vnciam
dimidiam.
Contusis simul in mortario lapideo adde
Pulveris Cardamomi minoris Vnciam
dimidiam.
Misceantur et fiat massa pilularis.

§. 603. In obstructionibus viscerum, asthma humido, nephritide pituitosa et sabulosa, dysuria et ischuria, a causis pituitosis ortis, leucoplegmata et ipso hydrope, a Scrupulo uno usque ad Drachmam dimidiam, summo cum effectu dantur. Vide etiam §. 291.

196. *Pulpa cassiae.*

§. 604. Rec., Cassiae fistulae ponderosae quantum vis.
Aperiantur fistulae, et medulla una
cum seminibus
follicite eximatur, in sufficienti quan-
titate
Aquae ferventis,
dissolve et per cribrum traice.
Colaturae huius, lento igne ad Mel-
lis

lis consistentiam redactae, Librae
uni adde
Sacchari canariensis Libram dimidiam,
et coque ad iustam *Pulpa* con-
sistentiam.

Eodem modo paratur *Pulpa Prunorum*,
et *Tamarindorum*.

§. 605. Ab Vncia una usque ad duas data *alvum leniter ducit*, sed saepe *maxima tormina creat*, *Enematibus* itaque tantum ad aliquot Vncias addatur. Quidam *Auctores* ab eius usu, lotium viridiufculo nigrum obser-
varunt; quod alii negant.

197. *Pulpa prunorum.*

§. 606. Vid. §. 604. Praesertim in *pauperibus*, pro *Electuariorum* boli inservit.

198. *Pulpa tamarindorum.*

§. 607. Vid. §. 604. Libra una *Pulpa Tamarindorum* continet fere Drachmam unam *Salis acidi*, quod ratione virium, cum *Crystallis Tartari* convenit. Eximias eius vires *ecceprotice laxantes, antiphlogisticas, sitim sedantes, acrimoniam bilis corrigentes*, et quas contra *putredinem* praestat, quae etiam in omnibus fere *morbis*, praesertim *febris*, cuiusvis sint generis, tanti effectus sunt, non pluribus laudabimus: quia nemo est, qui id nesciat. Datur ab Vncia una usque ad tres. Plerumque cum aliis *Medicamentis* combinatur. In *febris acutis, biliosis, putridis, inflammatoriis*, tanquam *temperans, diluens* et *antiphlogisticum*, sequens *Decoctum*, pro *potu ordinario* exhiberi potest.

Recipe, *Pulpa Tamarindorum* Vnciam unam.

Solve in

Aquae fontanae fervidae Libris quatuor.

Colaturae adde

Nitri depurati Drachmas duas,

Gelatinae Rubium unciam unam,

Misceantur.

Eodem scopo, *Pulpa nostra* in tali, vel pro rerum
circumstantiis, modo maiori, modo minori portione, *Sero*
Lactis

Lactis vel *Decocto Hordei* additur. Non convenit vero *Pulpa Tamarindorum* in connubio cum *Salibus mediis*, quae *acidum vegetabile* continent, quae decomponuntur,
 PVLVIS ALTERANS EDINBURGENSIVM. Vid. N. 194.
 PVLVIS ANTISPASMODICVS. Vid. *Pulvis temperans*.

199. *Pulvis contra strumas.*

§. 608. Rec., *Spongiae usuae* Vncias tres.

Sacch. canariensis, Vnciam unam.

Misce.

§. 609. A Drachma dimidia usque ad unam in die bisve terve datus, nobis in *strumis* non adeo *induratis* et *inveteratis*, multa praestitit. *Vrinam* potenter movet, et etiam in *affectionibus serophulosis* valet. Cui placet, *Oleum* quoddam *destillatum gratum* e. g. *Oleum Citri* addere potest.

200. *Pulvis dentifricius.*

§. 610. Rec., *Corticis peruviani* Vncias duas.

Radicis Iridis florentinae Vnciam unam.

Salis Ammoniaci Vnciam dimidiam.

Succi Iaponici,

Sanguinis Draconis, ana Drachmas sex.

Myrrhae Drachmas tres.

Misce fiat *pulvis*, cuius Vnciae ad quamlibet praescriptionem addantur

Olei Caryophyllorum Guttae duodecim.

§. 611. *Mucum tartareum* non solum a dentibus dertgit, sed etiam, si eo *gingivae* fricentur, eas roborat, hincque *vacillantes dentes* firmat, et *scorbutica gingivarum profluvia* sistit. Praesertim sollicitè omni die *gingivae* tali *pulvere* fricandae sunt; neutiquam vero *dentes ipsi*; quia crebriori tali frictione nitorem amittunt. Sufficit itaque, si hi, tantum omni quatuordecim dierum spatio *pulvere* fricentur, et saltem omni die diligenter os *Aqua pura* coluatur. Si vero negligentia iam *dentes mucore tartareo ingenti* obducti et *nigricantes* reperiantur, ante usum huius Pulveris, primum singulo die, *pulverato pane ustulato* et *pulvere foliorum Salviae probe siccatorum* aequalibus partibus, aliquamdiu *dentes* purgentur. Caeterum *pulvis noster*

Piderit Pharmacia,

O

prae-

praecipue eis conducit, qui in mari vitam degunt. Addito
Melle Rosarum Electuarium gingivale ex eo parari potest.

201. *Pulvis galactopoeus Rosensteinii.*

§. 612. Rec., *Magnesiae albae* Vnciam unam.
Flavedinis Corticum Aurantium,
Seminis Foeniculi, ana Drachmam unam.
Misce fiat pulvis.

§. 613. *Nutricibus,* ad aliquot *Cochlearia parva* in die datur. Plura vid. §. 528.

202. *Pulvis infantum.*

§. 614. Rec., *Magnesiae albae* Vnciam unam.
Seminis Foeniculi Drachmam unam.
Sacchari canariensis Vnciam dimidiam.
Misce, fiat pulvis.

§. 615. Loco noxiorum *Opiatorum,* vel aliorum *inanium remedium,* mulierculis hic *Pulvis a Pharmacopolis* exhibeatur, quando *infantes nuper natos ventris doloribus cruciari,* dicunt. Datur a Granis sex ad quindecim, ter quaterve in die. Plura vide §. 528.

203. *Pulvis ophthalmicus Baldingeri.*

§. 616. Rec., *Sacchari albi,*
Boli rubrae,
Cremoris Tartari, ana Vnciam dimidiam.
Misce, fiat pulvis subtilissimus.

§. 617. „Applicetur, perill. BALDINGERVS Pharm.
„*Edin. Edit. alter. p. 368.* ait, absque irritatione et abs-
„que flatu inprimis, quotidie parva portio huius *pulveris*
„oculis. Sanat certissime continuato usu, ad miracula
„sane, oculum *panno crassiori* obscuratum, et visum resti-
„tuit. Iuvat saepe in desperato casu, ubi vix expectaf-
„sem, *Pellis* certe ex *variolis* superstes hoc *pulvere* in
„integrum consumitur” &c.

204. *Pulvis purificans Kaempffii.*

§. 618. Rec., *Antimonii crudi pulverati* Vnciam dimidiam.

Magne.

Magnesiae albae Drachmam unam.
Sacchari canariensis Drachmas quinque.
Florum Cassiae Drachmam dimidiam.
 Misce, fiat pulvis.

§. 619. *De viribus* vid. §. 313. Datur a Drachma dimidia usque ad unam.

205. *Pulvis squilliticus.*

§. 620. Rec., *Radici Squillae praeparatae* Drachmam unam.

Vincetoxici Drachmas sex.

Nitri depurati Vnciam unam.

Misce, fiat pulvis.

§. 621. *Pulveris huius*, quem HELMONTIVS et STAHLIVS iam laudaverunt, vires, quas in *asthmate*, tam *humido* quam *spasmodico*, in *catarrho suffocativo*, in *affectibus cachecticis*, in *obstructionibus viscerum*, et inde ortis *morbis leucophlegmaticis* et *hydropicis* praestat, non satis laudandae sunt; uti quoque in variis *viarum urinarum* vitiis, e. g. *nephritide*, *ischuria*, maximi est usus. Datur in Principio, ne *Squilla vomitum excitet*, in minori portione, ad Grana quatuor nimirum ad sex. Dosis haec vero deinde sensim, usque ad Serupulum, quin dimidiam Drachmam, augeri potest. Ut plurimum, post *Pulveris* huius usum, *urina copiose fluit*, et *expectoratio libera sequitur*. Quando *ventriculum Squilla* nimium irritat, *Camphora* adhuc additur. Plura vide §. 291.

206. *Pulvis sternutatorius.*

§. 622. Rec., *Foliorum Nicotianae*,

Herbae Maioranae,

Florum Lavendulae, ana Vnciam unam.

Misce, fiat pulvis.

§. 623. Conducunt *Sternutatoria Medicamenta*, in *congestionibus humorum pituitosorum versus caput*, et *morbis a lenta et tenaci pituita in capite haerente*, e. g. *vertigine*, *hebescentibus oculis*, *capitis doloribus* et aliis malis ex talibus causis ortis. Valent etiam ad *irritandum corpus* et *eiiciendum heterogeneum e cavo pharyngis*. *Plethora* vero praesente, in *proclivitate ad morbos apoplecticos*, in *cis qui insigne irritabile nervorum systema habent*, in *gravidis*, et qui iam *haemoptysin* perpessi fuerunt, non administrantur. In genere maxima cautio circa ea adhibenda, observanda est.

207. *Pulvis temperans.*

§. 624. Rec., *Nitri depurati,*
Tartari vitriolati, ana Vnciam unam.
 Misce, fiat pulvis.

§. 625. In sanguine denso et rarefacto, uti in genere, ubi sanguinis circulus nimium auctus conspicitur, et ubi alvus leniter stimulanda est, convenit, ut a Drachma dimidia usque ad integram detur. Male vero eis, qui terrorem passii fuerunt, exhibetur, et insuper notandum, crebriorem talium pulverum usum, *ventriculi vires* valde debilitare.

208. *Resina ialappae.*

§. 626. Rec., *Radici Ialappae ponderosae* Libras sex.
 Crassiuscule contunde et affunde
Spiritus Vini rectificati Libras duodecim.
 Stent infusa in loco calido per aliquot dies, postea colentur et fortiter exprimantur. *Extractio* haec toties repetatur, donec *Spiritus Vini* superfusus non amplius tingitur. Omnibus tandemque *extractionibus* acquisitis, commixtis et filtratis, *Aqua* affundatur *fontana*, et *Spiritus Vini* ope distillationis inde evocetur. Sic *resinosa Ialappae substantia* in fundo *cucurbitae* haerebit, quae *Aqua limpida* aliquoties lavetur, et in *Vase, Aquae ferventi* immisso, ad *piceam consistentiam* redigatur, ac denique in *cylindros contortos* efformata, asservetur.

Quando cum aequali parte *Amygdalarum dulcium Resina* haec, et quidem ad quamlibet praescriptionem recens teritur, *praeparata Resina* audit. *Borussicae Aulae Archiater* quondam, I. H. GVNDELSHEIMER, primo *Resinam praeparatam* introduxit, hic quidem eam ex tribus partibus *Amygdalarum* et duabus *Resinae* paravit, quam praeparationem huius Successor STAHLIVS, ita mutavit, ut aequales partes sumferit,

Quia

Quia *Resina Lalappae* saepe cum aliis rebus adulterata est, *Pharmacopolae* eam ipsi parent. Si cum *Resina communi* adulterata est, *Spiritus Vini rectificatus*, si in eo solvitur, hanc intactam relinquit.

§ 627. *Purgantes* eius vires omnibus notae sunt. *Infantibus* intra quatuor annos, melius *Pulvis radice Lalappae*, vel aliud congruum purgans exhibetur; sed pro *infantibus* ab annis quatuor usque ad duodecim, dosis huius *Resinae* est, *Grana* duo, tria, quinque, et *adultis* sex, octo, decem, ad summum, sed tantum *robustioribus*, duodecim. In *morbis inflammatoriis, biliosis*, et in eis hominibus, qui *fibras* habent *strictas*, et *aviditate intestinorum* laborant, uti quoque in *haemorrhoidariis*, qui *alvi obstructionibus* obnoxii sunt, et in *plethoricis, resinosa* talia purgantia sedulo fugienda sunt. In *phlegmaticis, hydropicis* et ad *vermes* expellendos, *Resina nostra*, vel etiam *Pulvis Lalappae* maxime conducit.

Resina praeparata recte *simplici* praefertur, et in genere omnino exhibendi modus optimus talis est, quando cum *Syrupo emulsivo* porrigitur. Antea etiam, ad maiorem *Resinae* solubilitatem, ea, cum *Elaeosaccharo* congruo teri potest. De *Resina praeparata* alterum tantum quam de *simplici* praescribitur.

209. *Roob iuniperi.*

§. 628. *Rec.*, *Baccarum Juniperi maturarum recentium conquassatarum* Libras octo.

Coque in sufficiente quantitate
Aquae fontanae
donec mollescant. Tunc per *setaceum*,
et modice exprimantur.

Succus inde prolatus, cum
Sacchari canariensis Libra una lento
igne, ad *Mellis* consistentiam redigatur.

§. 629. *Juniperi vires stimulant, diureticae* et simul *roborantes* in *morbis pituitosis*, praesertim *oedematosis* et *hydropicis*, tam eximiae sunt, ut iam *HELMONTIUS*, inter *arcana* habuerit. Optima *Roob* hoc exhibendi methodus, quam *L. B. a SWIETEN* in *Comm. in Boerhaav. aph. T. IV. p. 258.* docet, haec est:

Recipe, *Roob Juniperi* Vncias quatuor.
Dilue in

Aquae Juniperi Libris duabus
et adde

Spiritus Juniperi Vncias duas.

Exhibeantur aegris, de hoc Medicamine, omni bi- vel trihorio Vncie duae. Interim, quia *Juniperina medicamina* simul satis fortiter in *sanguinem* agunt, vitanda in eis sunt, in quibus *sanguinis profluvia* citra damnum, provocari non credimus, uti quoque, qui *renum inflammationi*, vel *mictrui cruento obnoxii*, ea vitent.

210. *Roob sambuci.*

§. 630. Rec., *Succi Baccarum Sambuci maturarum*
Libras sex.

Sacchari albi Libram unam.

Moderato igne, sub perpetua agitatione ad iustam consistentiam coque.

§. 631. Celebre domesticum remedium est; et quia suppressam *transpirationem* sine magna *sanguinis exaestuatione* restituit, valet non solum in *febris*, quae inde ortae, sed etiam in *affectionibus rheumaticis* atque *arthriticis*. Datur usque ad integram Vnciam. *Medicis* ut plurimum, pro *Electuariorum Basi* inservit.

211. *Rotulae berberum.*

§. 632. Rec., *Sacchari canariensis* Vnciam unam.

In *pulverem* redactum leviter incalcescat, in *vase cupreo Stanno obducto*, et postea admisce,

Succi Berberum depurati, Vnciam dimidiam,

et ex eo absque coctione, ad *tabulati* consistentiam redacto, ad legem artis *Rotulae*, ope *spathulae ferreae* formentur.

§. 633. Ad *fitim* in morbis sedandam *lambendae* exhibeantur, vel etiam in *potu ordinario* solvantur, qui inde *gratam aciditatem* accipit.

212. *Rotulae menthae piperitae.*

§. 634. Rec., *Olei Menthae piperitae* Drachmam unam.
Sacchari canariensis Drachmas sex.
 Misce fiat *Elaeosaccharum*, cui adde
Sacchari albissimi sicci Libram unam.
Aquae Menthae piperitae quantum suffi-
 cit, ut fiant lege artis *Rotulae*.

§. 635. Ad *status hypochondriacorum* uti et *spasmos* in
hystericis leniendos valent.

SACCHARVM CLARIFICATVM vid. *Syrupus communis*.

213. *Saccharum lactis.*

§. 636. Rec., *Lactis recens multū* quantum vis.
 Coque illud communi methodo, et
 adde vel

Galii albi, vel *Coaguli vitulini*, vel *Al-
 buminum Ovorum in spumam con-
 quassatorum*, quantum sufficit, ut
 fiat *Lactis coagulatio*.

Serum coli ope separatum, et per *char-
 tam emporeticam* filtratum, in *vase*
figulino, quod *vitro crustatum*, leni
 calore, usque dum sexta tantum pars
 remanserit, evaporetur, et ut *crystal-
 li* oriantur, in *loco frigido* reponatur.
Crystalli collectae Aqua frigida ab-
 luantur, in *loco tepido* inter chartas
 siccentur, ac tandem *vitro inclusae*,
 in *loco sicco* et *temperato* conser-
 ventur.

Plerumque ex *Helvetia*, ubi optimum et in copia *Sal*
 hoc paratur, expetitur.

§. 637. Inventum est LVDOV. TESTI, *Medici Veneti*, e
 cuius schedis deinde, ipso mortuo, ANT. VALISNERIVS
 praeparandi modum exposuit in *Ephem. Natur. Curios. Cent.*
III. Obs. 33; edidit deinde etiam anno 1709. TESTI *peculia-
 rem librum de hoc Saccharo et arbritide*. Ad *sanguinem com-
 motum* aliquo modo temperandum, *bilem inaequantem* miti-
 gandam, et *expectorationem* facilitandam, a Drachma una

usque ad integram Vnciam, in die dari potest. Conducit praesertim in *pleuritide*, *peripneumonia*, *haemoptysi*, et in iis, quorum *ventriculus* vim *Nirri* temperantem tolerare nequit. Etiam in *febris lentis*, *phthisi*, *doloribus rheumaticis* et *arthritis* praebetur: sed res magnas et inauditas inde non promittimus. Sic pari modo, tanta in *arthritis fixa*, *podagra* et *scorbuto*, quanta ei a multis tribuuntur, nequaquam confirmabimus, neque id compertum nos habemus. Nobis medicamen est, quocum alia efficaciora, ut sunt *Kermes minerale*, *Sulphur auratum Antimonii*, *Flores Sulphuris*, commode exhiberi possunt. Caeterum *Saccharum nostrum*, etiam cum infuso quodam, vel *Aqua fetoria* praebere potest. *Serum Lactis* ipsum, praesertim si, pro diversa *Medici* intentione, id probris *Plantarum succis* maritatum fuerit, maiora praestat.

214. *Saccharum seu Sal saturni.*

§. 638. Rec., *Cerussae in lamellis*, Libram unam.

Immittatur *Cucurbitae vitreae*, et infunde

Aceti Vini destillati, quantum sufficit ad plenariam solutionem. Calide digere, *liquorem frigesactum* evapora in *figulino vase* ad cuticulam usque, et ad formandas *crystallos* in loco *frigido* reponatur. *Crystallos* leni calore exsiccentur et usui serventur.

Ex *Batavia* plerumque *Pharmacopoei Sal* hoc sibi procurant.

§. 639. *Externe* applicatum, refrigerat, constringit, repellit, siccat, et itaque eundem usum habet, simul vero etiam similem poscit cautionem, quam §. 288. de *Aceto Saturni* indicavimus. Praeterea ad alia, praesertim varia *ophthalmica* venit *medicamenta*. Ratione usus interni, quem temere multi, ad ductum quorundam *Angliae Medicorum*, imitantur, ea videantur et valeant, quae §. 485. de *Extracto Saturni* diximus. BOERHAAVIUS in *Elem. Chym. T. II. p. 456.* "Interne, de *Saccharo Saturni*, ait, commendatur pro remedio salubri contra *haemoptoen*, *haemorrhagias*, *mictum sanguinis*, *gonorrhoeas*, *fluores albos* et similia, tum etiam pro mitigante remedio contra *acrimoniam sanguinis*, sed nunquam ausus fui, facere periculum: quia felices successus haud vidi ab aliis adhibentibus natos; et quoniam novi vix dosius haberi tetrumque magis *venenum*, quam ab hoc
Plumbo,

„*Plumbo*, quod statim in *Cerussam* reducitur, ac *Acidum* ab
 „occurrente quacunq[ue] re inde absorbetur. Hinc lethale,
 „nec facile postea sanandum, *venenum* corpori inducitur.“

215. *Sal acetosellae essentialis.*

§. 640. Rec., *Succi Herbae Acetosellae recenter expressi*
et subsidendo depurati, quantum vis.

Evaporetur ita, ut tertia modo pars
 reliqua fiat, et colatum per *manicam*
Hippocratis exhaletur ulterius, usque
 dum cuticula appareat. Reponatur
 tunc in *vase vitreo* ad locum frigi-
 dum, ut *Crystalli* in eo concre-
 scaant, quae in *Aqua pura* solvantur, et facta
 per *filtrum* depuratione provide co-
 gulentur, atque ut eo purius *Sal* eva-
 dat, solutio et *Crystallorum* genera-
 tio repetantur, usque ad plenariam
 albedinem. *Liquor*, post primam
Crystallorum procreationem, rema-
 nens, ulterius inspissetur, et denuo
 ad eas acquirendas reponatur.

Librae decem *Herbae recentis contusae* porrigunt circi-
 ter Libras duas *Succi expressi* et Drachmas sex usque ad
 novem *Salis essentialis*. Ex *Helvetia* et *Suecia* in copia pe-
 tatur; saepe vero adulteratur. *Sincerum*, si in *Aqua com-*
muni solvitur et filtratur, *Aquam turbidam* reddit, si ei
 de hac solutione aliquot guttulae insillentur.

Sal nostrum difficile solvitur; Drachma una ad mini-
 mum Vnciam *Aquae ferventis* requirit.

§. 641. *Sal* hoc suavissimum, cum succis nostris *saponem*
naturalem constituit, et nobiles exserit *vires temperantes* at-
 que *aperitivas*. Datur ex hac causa, a Scrupulo uno usque ad
 integram Drachmam, non solum in multis et variis morbis,
 praecipue *febris acutis*, ad *sanguinem*, *bilem* temperandos,
 sed etiam ad *obstructiones leviores*, praesertim in *haemorrhoi-*
dariis, *hypochondriacis* et *ictericis* solvendas. Quando *bilis sa-*
burra in *ventriculo* haeret, consulto ante *Vomitiorum* ad-
 ministrationem, *Sal nostrum*, ad aliquot Drachmas in die ex-
 hibetur; *urinam* praeterea movet, et inde etiam in *dys-*
ichu.

isburia, quae vel ex *inflammatione*, vel ex *mucosae acris vias urinarias* obsidenti oriuntur, adhibitis aliis remediis, conducit. Optima et suavissima exhibendi methodus est, quando cum quarta *Elaeosacchari Citri* parte misceatur. Aestatis tempore tali *pulvere* ad gratum saporem addito, *potus temperans* parari potest.

216. *Sal anglicum catharticum depuratum.*

§. 642. Rec., *Salis Anglici Epsoniensis* Libram unam.

Solve in

Aquae fontanae ferventis Libris tribus.

Evapora ad cuticulam usque, repone in loco frigido, ut coeant *CrySTALLI*, quae a prima solutione ortae, tantum siccentur et usui ferventur.

§. 643, *Laxantia* ea, quae ex *Salibus amaris* parantur, ideo ad praecipua referenda sunt, quia non solum *alvum exacte purgant*, sed etiam simul *tonum fibrarum canalis intestinalis* conservant. *Sal nostrum* eo scopo in *tenerioribus*, ab *Vncia* dimidiam, et in *adultis et robustioribus*, ab *Vncia* una usque ad sesquiunciam, quandoque etiam, ad duas et in maiori quantitate, ita praescribitur, ut in sufficienti *Aquae calidae* quantitate solvatur, et partitis haustibus capiatur. In genere *Vncia* una huius *Salis* pro laxando adulto sufficit. Modo etiam tantum aliquot *Drachmae*, ad acuenda alia *remedia laxantia*, addantur. In minori dosi, a *Drachma* dimidia ad unam, *Salia* haec data, *vim incidentem, digestivam et diureticam* exserunt. In *dysenteria* et *intestinorum inflammationibus*, *Salium* horum usus plane vitandus est. Ea exhibendi ratio suavissima haec est, ut *Salis* in *Aqua fontana fervida* factae *solutioni*, sufficientem partem *Syrupi emulsivi* vel *acetositate Citri* addamus.

SAL BENZOES ESSENTIALE. vid. N. 125.

217. *Sal cornu cervi volatile.*

Vid. §. §. 567. et 590.

218. *Sal seu Vitriolum martis.*

§. 644. Rec., *Limaturae Martis purissimae* Libram unam.

Sensim et partitis vicibus affunde,

Acidi Vitrioli tenuis Libram unam, in *Aquae fontanae* Libris tribus diluti.

Stent per *nyctthemeron*, postea filtra, et evapora ad cuticulam usque, et reponere.

reponatur in loco frigido, ut *Crystalli* acquirantur. Liquor remanens de-
nuo evaporetur, et labor tandi-
um repetatur, usque dum non amplius
Crystalli appareant.

Vt detegatur, an *Ferrum a cupreis et Aurichalci* parti-
bus probe depuratum sit, *Salis nostri* Drachmam unam,
solvetur in *Aquae Vnciae*. Si huic *solutioni cultrum politura*
splendentem immittas, et non rubicundum colorem in-
duat, *Ferrum*, ex quo *Sal Martis* paratum fuit, purissi-
mum fuisse, testatur; sin vero *culter rubicundum colorem so-*
lutioni immixtus, acquirit; tunc *Ferrum Cupri* vel *Aurichalci*
partibus esse inquinatum indicat. Etiam *solutioni supra me-*
moratae, Spiritum Salis Ammoniaci urinosum instillare pos-
sumus. Si *coeruleum*, seu multo magis *sapphirinum colorem*
inde *solutio* acquirit, indicat, *Ferrum cupreis* vel *Aurichal-*
ci partibus esse inquinatum, quia, si purum est, *solutio* ab in-
stillato *Spiritu Salis Ammoniaci*, colorem suum non mutat.

§. 645. *Sal hoc resolvit, aperit, et roborat* satis insigni
modo, et itaque in *obstructionibus viscerum*, praesertim simul
humorum serosorum copia praesenti, in atonia parrium, ad re-
stituendos a talibus causis interceptos *sanguinis fluores*, saepe
magna efficit. Prodest ergo in *febris intermittenibus*, in
hypochondriacis, in *haemorrhoidibus pituitosis*, in *infantium*
obstructionibus glandularum mesaraicarum, in ipsa *rhachitide*
atque *atrophia*. Insuper simul pertinet ad certissima *anthel-*
mintica, ubi non solum *vermes*, et inter eos non raro, ipsum
lumbricum latum expellit, sed etiam *humores pituitosos, ver-*
mium nidum destruit, et *fibrarum tonum* augeat. *Infantibus*
intra annum dimidia *Grani* pars sufficit, *bien- et quadrienni-*
bus, duo *Grana* porrigi possunt, *maioribus usque ad annum*
decimum quartum, detur a *Granis* tribus usque ad octo pro-
dosi, et *adultis* usque ad *Scrupulum* exhibeatur, illa tamen
cautione, ut semper *minori dosi* incipiatur, et deinde haec
sensim augeatur. Si *Limatura Martis* aliis *Metallorum* praec-
sertim *Cupri* vel *Aurichalci spiculis* inquinata est, *Sal nostrum*
vomitur et alia saepe *periculosa symptomata* excitat, hinc *Phar-*
macopoeis incumbit, de eo sollicito occupatos esse.

219. *Sal mirabile Glauberi.*

§. 646. Rec., *Residui acidi Salis communis* Libras duas.
Solve in

Aquae

Aquae fontanae Libris quatuor.

Filtra per *chartam emporeticam*, postea evapora usque dum cuticula appareat, et reponatur in *loco frigido*, ut *crystalli* oriantur, quae in *charta emporetica*, in *loco umbroso* siccantur.

Pharmacopoei *Sal* hoc a *Seplastiariis* minori pretio emunt, quam illud venit, quod ipsi parant: sed tunc *Sal* tale, ad modum, uti §. 642. de *Sale anglicano* dictum fuit, antequam in usum trahant, depurent. Illud vero, quod hic loci a *FIEDLERO nostro* paratur, hac depuratione non indiget, et tamen vilioris est pretii.

Vt intelligamus, an *Salia media*, e. g. *Sal mirabile*, *Tartarus tartarificatus*, *vitriolatus*, etc. bene saturata sint, solvantur ea in *Aquae* sufficienti quantitate; ubi tunc, quando exacte parata et plane saturata sunt, ab instillato *Aceto Vini* nulla effervescentia oritur: quandoque, sed pessimo more, in *Vasis cupreis* talia *Salia* coquantur, quando tunc his *Salibus* in *aqua* solutis, *Spiritus Salis Ammoniaci urinosus* instillatur, *solutio coeruleum* colorem acquirit.

§. 647. *Sal* hoc, quod facile in *Aqua* solvitur, possidet *vires incidentes, detergentes, digestivas, resolventes, diureticas*, et si in maiori portione datur, *laxantes*. Ad *humores crassos* incidendos, *urinam* movendam, et *alvum* lubricam reddendam, inde in multis et variis morbis, a Drachma una usque ad tres exhibetur. Sin vero *purgandi effectum* desideramus, ad minimum *Vncia* una pro *adulto* esse debet, quin in quibusdam adhuc maior, sesquiuncia vel duae nimirum. Caetera vid. §. 643.

Sal polychrestum Seignette, eundem quidem usum habet, a nostro vero, ratione *acidi* differt, ingrata *amaritudine* caret, sed *viribus laxantibus* *Mirabili* debilius est; exhibeatur itaque paulo maiori dosi. In genere notandum, modo hoc modo aliud *Sal*, prae altero, insigniores effectus monstrare, et saepe etiam, diuturniori usu consultum esse, unum cum altero mutari.

220. *Sal polychrestum Seignette.*

§. 648. Rec., *Salis sodae depurati* Libram unam.

Solve in

Aquae fontanae ferventis Libris sex.

In

In vase figulino ebulliat, et inter ebulliendum inspergatur *Crystallorum Tartari* quantum sufficit ad exactam *Sodae* saturationem. Liquor deinde per *chartam emporeticam* filtratus, leni igne evaporetur ad tertias, et in loco frigidoreponatur, ut *crystalli* oriantur, quae in *charta emporetica* siccantur.

Est inventum *Pharmacopoei Rupellensis* DE SEIGNETTE. Descriptionem primo ab *Inventore* et *haeredibus* inter arcanas habitam, publici iuris fecit GEOFFROY in *Mém. de l'Acad. Royale de scienc. a. 1732.* et postea NEWMANNVS in *praefect. chym. pag. 92.*

De usu vid. §. praeced.

SAL SATVRNI. Vid. Nro. 214.

221. *Sal sodae depuratum.*

§. 649. Rec., *Sodae hispanicae* Libras tres.

Pulveretur in *mortario ferreo* et coque cum

Aquae fontanae Libris sex.

Postea cola, et ex *Residuo*, semper de novo *aguae* proportionatam quantitatem affundendo, coquendo et colando omne *Alcali* extrahe. Tandem omnes *extractiones* misceantur, et ad siccitatem usque, in vase ferreo evaporentur.

§. 650. Aliis *Medicamentis* parandis inservit.

222. *Sal succini volatile.*

Vid. §. §. 589. et 590.

223. *Sal tartari.*

§. 651. Rec., *Tartari* quantum vis.

Chartae bibulae madefactae involutum, vel in *crucibulum* positum, leni igne circumdetur, donec in *carbonem* comburatur; qui deinde contritus, in *crucibulo*

*cibulo aperto calcinetur, igne medio-
cri, sine fusione, usque dum albus
vel saltem cinereus sit. Tum in Aqua
calida solutus, per linteum coletur
Liquor, et in vase ferreo exhaletur,
sub sine assidue agitatus cochleari fer-
reo, ne materia fundo vasis adhae-
reat. Sal albissimum restabit, quod
paulo diutius super ignem relinquen-
dum, donec vasis fundus fere rube-
scat. Tandem refrigeratum Sal in
vitris bene obturatis reponatur.*

*Pharmacopoei hoc Sal non ipsi parant, sed ex regio-
nibus sibi procurant, ubi Vinum colitur.*

De usu vid. §. 384.

224. Sal tartari essentielle.

§. 652. Rec., *Calcis vivae subtiliter pulveratae et cum
Aqua limpida ab omnibus impuritati-
bus mundatae, quantum vis.*

*Immittatur in vas stanneum, vel saltem
stanno optime obductum, et super-
fundantur cuique Calcis Librae,
Aquae fontanae Librae duodecim.*

*Liquori per circiter horam cocto,
successive ingerantur*

Crystalli Tartari

*eousque, dum nulla amplius efferve-
scentia oriatur: quo facto Liquor
tali modo saturatus, ab igne remo-
veatur, et per dimidium horae quie-
scat, ut Selenites tartareus fun-
dum petat, liquor vero superna-
tans clarus et limpidus evadat. Lixi-
vium limpidum, quod Tartarum tar-
tarisatum in se continet, decantetur
a Selenite tartareo, in vas separatum;
et Selenites hic aliquoties adhuc ab-
luatur*

luatur *Aqua frigida*, donec haec sine acido sapore per filtrum decurrat. *Aquae ex Selenitae tartarei* edulcoratione obtentae cum *Lixivio a Selenite* decantato commisceantur, filtrentur, et super leni igne evaporentur ad ficcitatem, quo labore obtinetur *Tartari tartarisati* aliqua portio. Tum vero in *vas lapideum* magnum immittantur

Acidi Vitrioli concentrati pars una,

Aquae fontanae partes octo.

Acido Vitrioli sic diluto successive ingeratur

Selenites tartareus post antedictam edulcorationem in *filtrum* relictus: massa haec commixta et *spathula lignea* probe agitata, reponatur in *Balneo Arenae*, per viginti quatuor horas leni calore digeratur sine ulteriori commotione; *Liquor acidus* supernatans decantetur, filtretur, ac residuo in *filtrum* relicto *Aqua fontana* eousque superfundatur, dum haec defluens per *filtrum acido sapore* careat. Tandem omnes tam ex decantatione, quam ex filtratione obtenti *liquores, acidum Tartari* continentes, immittantur in *vas vitreum* vel *lapideum* probe et fortiter usum, ibique ad cuticulam evaporentur; reponatur tunc *Liquor* per tres quatuorve dies in loco frigido, ut *Selenitae* portio eidem fortassis adhuc inhaerens, fundum petat, *Liquor* vero filtratus addito pauxillo *carbonum pulvere* lento igne evaporetur ad *Syrupi* consistentiam, et in loco frigido ad *Crystallisationem* reponatur. *Liquor a Crystallisatione* residuus, denuo ad iustam consistentiam exhalet, rursusque ad *Crystallisationem* reponatur, eousque dum nullae amplius *Crystalli* appareant.

Vt

Vt certi simus, an *filtrato illi liquori*, qui ad *Cry-*
stallisationem reponitur, adhuc inhaereat *Vitrioli*
acidum, sumatur parva huius *Liquoris* portio,
 eique instillentur *Aceti Saturni* aliquot Guttae,
 et statim orietur *Praecipitatum album*, quod af-
 fuso *Acido Nitri*, si ab *Acido Vitrioli* liber fit
Liquor, statim solvetur, ita quidem, ut *Liquor*
 iterum clarus fiat. Si vero *Liquor* ex affuso
Acido Nitri non inclarescat, sed turbidus ma-
 neat, signum est, ei adhuc inhaerere *Acidum*
Vitrioli; ut ergo hoc expellatur e *Lixivio acidi*
Tartari, requiritur, ut *Liquor* iterum *Aqua*
diluatur, et *Selenitae tartarei* vel *Terrae Cal-*
careae tantum addatur, usquedum *filtratus Li-*
quor ab *Acido Vitrioli* plane liberatus sit.

Ad saturationem tantae quantitatis *Selenitae tartarei*,
 ad quam *CrySTALLORUM Tartari* Librae septem adhibitae
 fuerunt, requiruntur *Acidi Vitrioli* praescripto modo
diluti Librae septendecim cum dimidia.

§. 653. *Penetrans et suavissimum acidum* est, quod inci-
 dit, aperit, temperat, et putredini quam optime resistit, uti
 quoque tanquam summum *Antalcalinum remedium* confi-
 derandum venit. Adhibetur itaque a Gravis decem usque
 ad triginta, maximo cum effectu, in omnibus *febris acuti-*
sis, putridis, biliosis, et in genere ubi *acida* laudavimus.

225. *Sapo chymicus ad usum externum.*

§. 654. Rec., *Salis Tartari calcinati et adhuc calentis*
 Vnciam unam.

Spiritus Terebinthinae Vncias tres.

Conterantur illico, diu et fortiter in
mortario calefacto, donec *massa sapo-*
nacea sit formata.

§. 655. Adhibetur *externe* ad *tumores cysticos, indura-*
tos et serophulosos resolvendos.

226. *Sapo chymicus ad usum internum.*

§. 656. Rec., *Salis Tartari* Vnciam unam.

Buty-

*Butyri Cacao lenissimo calore fusi, Vn-
cias quatuor.*

Intime in mortario misceantur.

§. 657. *Summum est aperiens, resolvens et absterfivum
remedium, quod adversus acidum viscidum et in obstructio-
nibus viscerum conducit. Valet itaque praesertim in mor-
bis chronicis variis, in ictero, obstructionibus glandularum
mesaraicarum, in acidi praedominio, rhachitide et ipsis scir-
rhis. Dantur communiter in pilulari forma, omni bi- vel
trihorio, Grana sex, octo usque ad duodecim. Vbi febris
adeft vel humorum nimia resolutio et pronitas ad putredi-
nem, saponis, sive sit alicantinus, sive nosfer medicatus,
fugiendi sunt. Diuturniori Saponum usu praeterea con-
coctionis viscera debilitari, adhuc monendum venit.*

227. *Sevum cervinum.*

Vid. §. §. 353. et 354.

228. *Sevum vervecinum.*

Vid. §. §. 353. et 354.

229. *Sief album Rhazis.*

§. 658. Rec., *Ichthyocollae concisae* Drachmas tres.

Cerussae pulveratae Drachmas sex.

Amyli Vnciam dimidiam.

Misce, fiat pulvis.

§. 659. *In ophthalmia sanguinea, et in oculorum lippit-
tudine humida, praemissa revulsione sufficienti, magnam
laudem meretur. Redigitur tunc cum Aqua Rosarum in
pusticulam, quae externe oculorum canthis crebro immittit-
tur, ubi egregie demulcet et repellit. Quodsi oculus, ob
crispatos conjunctivae tubulos, multum doleat; venaesectio-
ne et Laxantibus antiphlogisticis praemissis, consulto Sief
Drachmae uni, Extracti Opii Granum unum vel alterum
additur. Valet etiam Medicamen nostrum ad alias inflam-
mationes, ex causis externis ortas, et ad ambusta. Plura vid.
in BURGGRAVII Comm. de aere, aquis et locis, §. 36.*

230. *Species carminativae pro clysteribus.*

§. 660. Rec., *Radici Valerianae sylvestris,*

Herbae Menthae piperitae, ana Vncias duas.

Piderit Pharmacia,

P

Flo-

Florum Chamomillae Libram dimidiam.
Seminis Carvi Vncias duas.
 Grosso modo incisus et contusis, fiant
Species.

§. 661. *Species* hae *carminativae*, meliori modo per unam alteramve horam, tantum cum debita *Aquae ferventis* quantitate infunduntur, aliae vero pro *Clysmaribus Species*, in *Aqua communi*, coquuntur, et quidem, ad ordinarium *Decoctum*, quod etiam de *Infuso* valet, pro qualibet *Aquae* Vncia, *Specierum* Drachma una sufficit: sin vero *saturatius Decoctum* seu *Infusum* desideretur, Drachmae duae recipiantur. *Decocti* talis pro *Enemate* quantitas diversa est, pro diversa hominum aetate, statura et Medici varia intentione. *Infantibus nuper natis* Vncia una vel sesquiuncia; *anni aetate*, vel *biennibus*, Vnciae duae vel tres, *maioribus* usque ad annum decimum quartum, Vnciae quatuor, sex, octo, decem; *adultis* Vnciae decem, Libra una, imo maiori quantitate, pro maiori aut minori hominis statura praescribuntur. Praeterea, quando *Clysmatum resorptionem*, et ut in *intestinis*, ad plenariam usque consumptionem retineantur, desideramus, qualis intentio in praescriptione *Enematum antispasmodicorum, nutrientium et resolventium* observatur; Vnciae sex sufficiunt; tunc etiam nullum *irritans* addi debet: quod vero, quando *Enemata* ad *alvi obstructions* referandas et *intestinum* stimulandum, praescribuntur, post colaturam, *Decocto* commiscetur. Varia pro vario scopo tunc adduntur. Praecipua vero sunt: *Nitrum*, a Drachmis duabus usque ad Vnciam dimidiam; *Saccharum* ab Vnciis duabus ad tres; *Sal culinare* seu *Anglicanum* ad dimidiam Vnciam; *Mel crudum*, ad aliquot Vncias; *Oxymel simplex*, *Acetum Vini*, ad tres quatuorve Vncias; *Sal Ammoniacum*, ad binas Drachmas: et quando fortior irritatio indicatur; proprie sic dicta *Purgantia* vel *Emerica*, et inter haec e. g. *Tartarus emeticus* a Granis tribus ad octo. Caeterum, si non expressis verbis, alio modo postuletur; tepide applicentur *Clysmata*, ubi circa debitum situm, quem ille, cui adhibentur, tenere debet, omnia exacte observanda sunt. Melius foret, si ubique *Syringa* reperiretur, quam *Vesica* illa consueta.

§. 662. *Infusum* harum *Specierum*, sumitur ad *Clysmata*, quae in *statu stultento et spasico* profunt. Pro rerum circumstantiis, aliis additis remediis, imprimis *Oleis destillatis*, adhuc efficacius tale *Enema* reddi potest. Quando ad ductum B. nostri KAEMPFII et perill. ZIMMERMANNI, in pertinacissimis *nervorum morbis*, qui cum *ventris infimi obstructions* coniuncti sunt, *Clysmata* sic dicta *antispasmodica* praescribi animus noster est, ex *Speciebus* nostris tale *saturatissimum Infusum*

fusum paratur, ut ad *Aquae Vnciam Specierum* Drachmae tres veniant. In hoc casu etiam, *Folia Aurantiorum Speciebus* addi possunt. Ab addita *Asa foetida*, quam ad plures Drachmas, praescriptimus, in solvendis *infarctibus* et compescendis *spasms*, magna vidimus. Plura vid. infra, ubi de *Enematibus* resolventibus sermo est.

231. *Species emollientes pro cataplasmate.*

§. 663. Rec., *Herbae Althaeae*,
Malvae,
Florum Sambuci,
Chamomillae, ana Vncias tres.
Seminis Lini Vncias duas.
 Incisis contusis fiant *Species*.

Harum *Specierum* Vncia una, cum *Micae panis tritici* Manipulo dimidio, unico *Vitello Ovi* et *Croci austriaci* Scrupulo uno miscetur, posteaque in *Lactis* Libra una, ad *pultis* consistentiam coquitur.

§. 664. Applicetur in *tumoribus*, *abscessibus*, *vulneribus* nimis dolentibus et *inflammatis*, ad *mitigandum*, *emolliendum* et *suppurationem* promovendam.

232. *Species emollientes pro clysmatibus.*

§. 665. Rec., *Radices Althaeae* Vncias quatuor.
Herbae Malvae,
Florum Verbasci,
Chamomillae, ana Vncias tres.
Seminis Foenu Graeci Vnciam unam.
 Grosso modo incisis et contusis fiant
Species.

§. 666. Modus adhibendi has *Species* liquet ex §. 661. Praescribuntur *Enemata emollientia*, ubi laxandum et emolliendum est, e. g. in *alvi segnitie*, *fecibus induratis*, *doloribus* et *spasmo intestinorum*. Varia ad haec impetranda adduntur alia, quae quidem quilibet Medicus ipse in casu obvio determinabit. Vtiliter etiam loco *Aquae* cum *Lacte*, *Species* hae coquantur.

233. *Species emollientes pro gargarismate.*

§. 667. Rec., *Radices Althaeae*,
Liquiritiae,
 P 2 *Herbae*

m.

fiant

nam

uan-

Aqua

tum,

Spe-

ctun-

co. Si

omi-

ribus

bien-

deci-

Vn-

uori

uan-

riam

ten-

rien-

tunc

Ene-

lan-

etur.

unt:

am;

ngli-

cias:

Sal

atio

nter

ete-

e ap-

i ad-

lius

meta.

ata,

um-

huc

. no-

sifi-

ibus

ribi

In-

sum

Herbae Malvae,
Florum Sambuci,
Verbasci,
Chamomillae,
Papaveris erratici,
Caricarum, ana Vnciam unam.
 Incisis fiant *Species.*

§. 668. *Specierum* harum Vncia una, ex *Lactis* Libra coquitur, et *Decoctum* in *angina*, repertis *suppurationis* signis, ad illam *facilitandam* et *promovendam*, tanquam *Gargarisma* frequenter in die adhibetur.

234. *Species mundificantes.*

§. 669. Rec., *Radicis Saponariae,*
Taraxaci,
Graminis,
Lapathi acuti, ana Vncias tres.
Pimpinellae albae Vncias duas.
Radicis Liquiritiae Vnciam unam.
Ligni Guaiacaci rasi, Libram dimidiam.
Seminis Anisi Sesquiunciam.
 Incisis contusis fiant *Species.*

§. 670. Vncia una harum *Specierum*, infundatur *Aquae ferventis* Libris duabus, lente decoquantur in vase bene tecto ad quartae partis consumptionem, deinde coletur.

Ad sanguinis et humorum corruptionem pituitosam et veneream corrigendam, in cutis morbis, e. g. scabie, herpete, in fluore albo, in omnibus inquinamentis venereis, e. g. scabie venerea, in cachexia universali, in artbritide ac rheumatismo inveteratis, in ulceribus antriquis, mane et meridie *Decocti* talis Libra dimidia *Saccharo* edulcata hauritur. Ex eis *Speciebus*, quae post primam decoctionem remanent, cum *Aquae fontanae* Libris binis, *Decoctum secundarium* parari potest, quod aeger pro lubitu per diem capit loco potus ordinarii. Sub *Mercurialium* usu *Decoctum* nostrum etiam prodest.

235. *Species nervinae pro cucuphis.*

§. 671. Rec., *Herbae Menthae Piperitae,*
Rutae hortensis,
Serpilli,
Maioranae,
Thymi,

Thymi,
Salviae,
Sabinae,
Melissae, ana Vncias duas.

Florum Rosarum rubrarum,
Lavendulae, ana Vncias tres.
Tanaceti Vncias quatuor.

Baccarum Lauri,
Iuniperi, ana Vncias duas.

Cardamomi minoris Vnciam unam.

Seminis Anisi,
Carvi, ana Vncias duas.

Macis Vnciam dimidiam.

Incisis, contusis fiant *Species*, quae probe servandae sunt.

§. 672. Quando pro *Cucuphis*, in *capitis laesionibus* ac *morbis*, ad *resolvendum*, *excitandum* et *roborandum* praescribuntur, *sacculis intersutis* includantur, et ut eo actuosiores evadant, cuilibet harum *Specierum* Vnciae, *Camphorae* Drachmae duae addantur, et cum *Oleo* quodam *destillato*, e. g. *Lavendulae*, vires exaltentur. Insuper *sacculi* ipsi, cum *Spiritu* quodam *nervino* et *aromatico*, e. g. *Serpilli*, inspergantur. Commode etiam *Species* hae cum *Vino* coquantur, et *Linthea* toties duplicata cum hoc *Vino* saturata, dein expressa, frigide eis, qui *contusiones* in *capite*, *cerebri commotiones* etc. passi fuerunt, et post *operationes in capite institutas*, applicantur.

236. *Species pectorales.*

§. 673. Rec., *Radicis Althaeae* Vncias quatuor.
Liquiritiae Vncias duas.

Florum Sambuci,
Tussilaginis,
Papaveris erratici ana Vncias tres.

Caricarum Libram dimidiam.

Seminis Anisi Vncias duas.

Incisis, contusis fiant *Species*.

§. 674. Vncia dimidia *Specierum* cum Libris duabus *Aquae* probe coquitur et in *morbis pectoris*, ad *expectationem* promovendam, et *acres humores* obvolvendos, praefcribitur.

237. *Species resolventes pro clysteribus.*

§. 675. Rec., *Radici Taraxaci*,

Saponariae, ana Vncias duas.

Valerianae sylvestris,

Rubiae Tinctorum,

Herbae Centaurii minoris,

Marrubii albi, ana Vnciam unam.

Florum Tanaceti, Vnciam dimiam.

Chamomillae, Vncias duas.

Seminis Lini Vncias quatuor.

Incisis fiant *Species*.

§. 676. B. nostro KAEMPPIO perspicuam, de *infimi ventris infarctibus*, et inde multis pullulantibus morbis, notitiam debemus: cum non solum *Parris dignissimi, Viri maximi acuminis*, vestigia in hac doctrina premit, sed etiam, pro summo suo ardore, quo dum viveret, ad amplificandam Scientiam nostram movebatur, propriis observationibus, systema suum, quod sibi de his *morbis* et eorum *optima medendi methodo* exstruxit, corroboravit. Hi *celeberrimi viri* etiam primi fuerunt, qui rectum et magnum, quem *Enemata ex Medicamentis aperientibus et resolventibus* parata, habent in talibus malis usum, docuerunt. Postea non hi solum, methodum hanc in *pertinacissimis infarctibus, obstructionibus viscerum abdominalium, malo hypochondriaco, haemorrhoidibus inordinatis et obstructis, melancholia*, et aliis ex *viscerum infarctibus* pendentibus morbis, utilem invenerunt, sed etiam alii Scientiae nostrae laudabiles *Doctores* eam laude ornaverunt, et inde exoptatissimos effectus viderunt. Instar omnium ex his nominare sufficit, *optimum et perillustrem ZIMMERMANNUM, Virum supra omnem laudem possum*. Ille enim non satis horum *Enematum* praestantissimos effectus testari potest. Nos frequenter in praedictis morbis talibus *Clysmatibus* usi fuimus; multa et saepe magna nobis praestiterunt, et nunquam illa damna inde vidimus, quae eis a multis adferibantur. Notare vero debemus, non ubivis et in omnibus morbis, tanquam *Specifica* praefcribenda esse, uti multi fecerunt, cum primo

B.

B. KAEMPFIVS *Opus suum absolutissimum et egregium: Flür Aerzte und Kranke bestimmte Abhandlung von einer neuen Methode die hartnaeckigsten Krankheiten die ihren Sitz im Unterleib haben, besonders die Hypochondrie sicher und gründlich zu heilen, publicaret.* Caeterum circa haec et *Enemata antispasmodica*, nobis sequentia notanda veniunt. Matutino tempore, post alvi desectionem, sive fecibus *Clysmate irritanti* primo eductis, tepide applicentur. Quoniam ad plenariam consumptionem aeger *Clysmata* retinere debet, et ut eo aetiosiora evadant, circa eorum parationem notanda, debere *Decoctum* ad modum §. 661 praescriptum, saturatissimum esse: dein, ut crassioris *Decoctum* fiat consistentiae, cuilibet *Specierum* Vnciae, *Furfurum triticorum* aut *siliginum* Drachmas duas admiscendas, et tandem quantitatem, quae applicatur, non Vncias sex esse transgressuram. Porro etiam, omnia *irritantia*, in talibus *Clysmatibus* fugienda. Frequenter, et omni die, idque per aliquem temporis tractum, ad tanta mala vincenda, *Clysmata* haec applicanda esse, cuilibet de se ipso iudicabit. Quandoque B. KAEMPFIVS, ut magis aperientes evadant, *Aqua Calcis Species* decoqui iubet. Qui plura scire cupit, adeat KAEMPFII *laudatum Opus* et etiam *doctissimas Dissertationes*, quas Perill. noster BALDINGERVS in Vol. III. *Syll. Select. Op.* collegit. B. KAEMPFIVS in *Diff. de infarct. vas. ventric.* his verbis bene *Clysmatum* praestantiam depinxit: "Singularis, enim ait, est usus, quem *Clysmata* foenerant, et peculiaris efficacia, qua eminent. Medicamenta enim per os superius sumta, post tot mutationes saepius colluvie vitiosa acida, liquore gastrico et post tot secretiones et excretiones perpeffas, denique infarctus infimi ventris. mali nostri scaturiginem attingentia, primarium solummodo hostis agmen imbecilliter quidem carpunt. *Clysteres* vero immediate Portam malorum pulsant, contumaces obstructions ex omnibus in circuitu partibus aggrediuntur, et claustra eorum eo fortius perumpunt."

238. *Species resolventes pro gargarismate.*

§. 677. Rec., *Radici Pyrethri* Vncias duas.

Herbae Salviae Libram dimidiam.

Seminis Sinapi Vncias tres.

Incisis contulsis fiant *Species*.

§. 678. Quando in *angina spuria* vel aliis *morbis pituitosis* e. g. *otalgia*, *odontalgia*, *pituita* ex glandulis educenda est, harum *Specierum* Vnciae duae in *Aquae* Vnciis octo coquantur, et inde *Gargarisma* paratur. Saepe

consulto *Radice Squillae* aliquot Grana his *Speciebus* adduntur, vel etiam *Decocto Oxymel* eius, in debita portione commiscetur. In *angina vero inflammatoria*, *Gargarismata* talia acria et irritantia vitentur; nisi *suppuratis partibus*, ad eas mundificandas.

239. *Species resolventes.*

§. 679. Rec., *Herbae Absinthii,*

Menthae piperitae,

Rutae,

Salviae,

Sabinae, ana Vncias tres.

Florum Chamomillae,

Sambuci,

Lavendulae, ana Vncias duas.

Seminis Carvi,

Anethi, ana Vnciam unam.

Incisis contulis fiant *Species*.

§. 680. *Stagnantes humores* resolvunt, *partes debilitatas* roborant, et itaque in *inflammationibus*, *contusionibus* et ad roborandas partes applicantur. Vel in *Sacculis* adhibentur, vel decoquantur cum *fluido* quodam, quod pro rerum circumstantiis varium, et vel *spirituosum*, vel *aqueum* esse potest. *Lintheamina* dein, in tali *Decocto* saturata, eodem applicantur modo, sicut §. 672. praescriptum fuit. Quandoque, sub finem coctionis, aliqua pars *Aque Calcis vivae* admiscetur, vel etiam *Spiritus Vini rectificatissimus*, aut *Vini camphoratus*.

240. *Species resolventes ad obstructions internas.*

§. 681. Rec., *Radice Althaeae,*

Bryoniae,

Florum Chamomillae,

Sambuci, ana Vncias tres.

Seminis Lini, Vncias duas.

Incisis contulis fiant *Species*.

§. 682. Vltus tempore, harum *Specierum* Vncia, cum *Micæ panis tritici* Sesquiuncia et *Cocci Austriaci* scrupulis duo-

duobus commiscetur, et haec omnia in *Lactis* Libris duabus ad formam *pulvis* coquuntur, cui tandem adduntur duo *Vitelli Ovi* et *Saponis* Vncia dimidia.

In *tumoribus inflammatoriis, obstructionibus viscerum*, vel inter *Linteamina*, vel in *Vesica bovina* inclusum, *cataplasma* hoc applicatur; ubi non solum *resolvit*, sed etiam *dolores lenit*. Usus igitur insignem habet in principio *pleuriticidis* et *peripneumoniae*, ad *dolores atrocissimos* mitigandos et *excretionem per pulmones* promovendam. Valet etiam in *vesicae urinariae inflammationibus*, et in aliorum *viscerum abdominalium infarctibus*.

241. *Species pro thea.*

- §. 683. Rec., *Radicis Graminis* Vncias tres.
Herbae Millefolii Vncias quatuor.
Veronicae, Libram dimidiam.
 Incisis fiant *Species*.

- §. 684. Titulus usum indicat.
 SPIRITVS ACETI, Vid. Nr. 6.

242. *Spiritus anisi.*

- §. 685. Rec., *Seminis Anisi contusi* Libram dimidiam.
Spiritus Vini Libras sex.
 Macerentur per *nuchthemeron*, et *Spiritus* lege artis destillationisque ope, quamdiu fluat, eliciatur.

Eodem modo ex *Iuniperi Baccis*, *Spiritus Iuniperi* paratur.

§. 686. *Spiritus Anisi carminativus* est et *stomachicus*, eodemque scopo, in *digestione depravata* et *flatulentia*, ab aliquot Drachmis ad Vnciam usque praescribitur.

243. *Spiritus antiscorbuticus Drawitzii.*

- §. 687. Rec., *Vitrioli calcinati* Libras duas.
Tartari crudi Libras tres.
 Misceantur et immittantur *Retortae terreae*, et lege artis destillentur, igne gradatim adhibito et sensim aucto, usque dum vapores nulli amplius apparent. Deinde

Recipe, *Huius Spiritus Libram unam.*
Spiritus Cochleariae Vncias quatuor.
 Misceantur.

§. 688. Resolvit, aperit, varias excretiones, praesertim eas per sudorem et urinam, promovet, et haec ratione sanguinem ab impuritatibus liberat. Non solum itaque eximii, unde nomen accepit, est usus in scorbuto, corporibus cacochymicis, scabie, sed praesertim magna in rheumatismo, arthritide et podagra praestat: quoniam non solum atroces dolores mitigat, sed etiam per urinam et sudorem morbi materiam expellit. Praeterea conducit etiam in affectibus apoplecticis et paralyticis, praesertim eis, qui a retropulsa materia arthritica orti fuerunt. Datur a Guttis viginti ad octoginta, vel solus vel cum Syrupo quodam mixtus. Notandum etiam, immortalium WERLHOFIVM, in memoratis morbis huius Spiritus usum, sub nomine *Mixturae antiscorbuticae simplicis*, maximi fecisse, uti ex *Ejus operibus* patet.

244. *Spiritus bezoardicus Buffii.*

§. 689. Rec., *Spiritus Salis Ammoniaci vinosi Vncias octo.*

Liquoris Cornu Cervi succinati Drachmas sex.

Olei Citri Guttas decem.

Misceantur et ferventur usui.

§. 690. Potenter sudorem pellit, urinam movet et antispasmodica virtute pollet egregia, si a Guttis duodecim usque ad triginta, imo quadraginta et ultra, in appropriato vehiculo praebetur, in morbis exanthematicis et arthriticis retrogressis, vel non rite erumpentibus; in spasms et in passione hysterica. Convulsiones, quae ex dentitione difficili oriuntur, cito tollit. Infantibus infra annum, Guttae quatuor vel sex sufficiunt; biennibus decem vel duodecim. Plura vid. in F. HOFFMANNI *Observ. phys. chym. Lib. II. p. 239.*

245. *Spiritus cochleariae.*

§. 691. Rec., *Herbae Cochleariae recentis, Libras sex.*

Contunde, et vesicae immixtis affunde

Spiritus Vini Libras quatuor.

Aquae fontanae Libras sex.

Iunctu-

Iuncturis probe clausis ac munitis *Spiritus* Librae duae destillentur.

Affervetur in vitris probe munitis.

Interdum *Raphanus rusticanus* ad parandum hunc *Spiritus* sumitur, qui *Spiritus* eiusdem saporis et odoris largitur.

§. 692. Ad *Gargarismata* et *Collutoria*, quae in *stomacace*, *aphthis* et aliis *gingivarum* et *palati ulceribus* profunt, venit. Ad *ulcuscula* pinfenda, etiam cum *Melle* praescribitur.

246. *Spiritus cornu cervi rectificatus.*

Vid. §. §. 567. et 590.

247. *Spiritus formicarum.*

§. 693. Rec., *Formicarum in mense Iunio vel Iulio collectarum*, Libram unam.

Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Destilletur ex *Vesica* Libra una.

§. 694. *Partibus debilitatis, rigidis*, et in earum *atonia*, tanquam *resolvens* et *nervinus* infricatur. Pari modo, in *capitis contusionibus*, *Fomentationibus* consulto additur, et in *capitis doloribus* etiam vertici et temporibus applicari potest, quando a torpore oriuntur. Male vero, ad *dolores arthriticos* et *podagricos* auferendos, adhibetur.

248. *Spiritus iuniperi.*

§. 695. Vid. §. 685. Summe *stimulans*, *diureticus* et *emmenagogus* est. Raro solus datur, sed plerumque alia tantum eo acuuntur remedia.

249. *Spiritus lavendulae.*

§. 696. Rec., *Florum Lavendulae recentium modice siccatorum*, Libram unam.

Spiritus Vini Libras quatuor.

Praevia per triduum digestionem destillentur ad dimidias.

Eodem modo parantur: ex *Herba Melissae*,

Spiritus Melissae,

et ex *Herba Serpilli*,

Spiritus Serpilli.

§. 697.

§. 697. Omnes hi *Spiritus* externe applicati, *resolventes* et *nervini* sunt, et ideo ad *partes debilitatas* roborandas et *nervos* erigendos adhibentur. Praesertim conducunt in *luxatis*, in *partium atonia* et in *capitis laesionibus*: uti etiam *Species*, quae *Cephalicae* appellantur, adspersis talibus *Spiritibus*, actuosiores redduntur. Praeterea *Odoramento* inserviunt, in *lipothymicis* et *debilibus*. *Spiritus Melissae*, in *clavo hysterico*, tam externe applicatus, quam etiam interne ad Cochlear datus, prodest, et simul mensum ataxiam corrigit.

250. *Spiritus melissae.*

Vid. §. 696. et praeced.

SPIRITVS NITRI ACIDVS, Vid. N. 7.

251. *Spiritus nitri dulcis.*

§. 698. Rec., *Spiritus Vini rectificatissimi* Libram unam,

Immitte *Retortae vitreae tubulatae*, et sensim et pedetentim insilla *Acidi Nitri fumantis* Vncias tres, summa adhibita cautela, ne flammam concipiant. Reponatur *Retorta* leviter tecta in loco frigido, et post septem vel octo dierum quietem, ponatur in *Balneum Arenae*, imponatur *alembicus*, adaptetur *vas recipiens* in *Aqua frigida* reponendum, et omnibus commissuris optime lutatis, igne per gradus suppeditato destillentur.

Eodem modo *Spiritus Salis communis dulcis* destillatur, nisi quod ad Libram *Spiritus Vini rectificatissimi*, Vnciae duae *Acidi Salis communis* veniant.

§. 699. Maxime cum hoc medicamine, omni die in ordinationibus obvio, *Medici*, *Chirurgi*, quin quilibet *Empirici*, *agyrtae* ludunt. Expectant ab eo *vires temperantes*, et praescribunt ideo ubique, ubi *aestus* et *febrilis motus* temperandi sunt: sed falluntur. Nam si non graviore modo noceant, tamen saepe in morborum decursibus, irrevocabile iuvandi tem-

tempus perdunt, et hoc modo irreparabile damnum inferunt. Quod vero vires, quae vere huic *Spiritui* adscribi possunt, attinet, omnino, tanquam *medicamentum carminativum, antispasmodicum, anodynum* et aliquo modo etiam *antisepticum*, in febris, doloribus colicis, in aliis ventris vitiis, e. g. diarrhoeis, flatulentis, in morbis spasmodicis et haemorrhoidibus irregularibus, a Guttis quadraginta usque ad centum et viginti praescribi, vel ad aliquot Drachmas, *Mixturis*, in modo fatis morbis adhibendis, addi potest.

SPIRITVS NITRI FVMANS, Vid. Nr. 8.

252. *Spiritus salis ammoniaci anisatus.*

§. 700. Rec., *Spiritus Salis Ammoniaci vinosi* Libram unam.

Anisi Vnciam unam.

Misceantur.

§. 701. Ad *pituitam* in morbis pectoris e. g. *catarrho simplici, coryza, ruffi catarrhali*, incidendam, et inde solvendas *stases*, a Guttis viginti usque ad quadraginta in *vasculo Theae*, vel alio vehiculo exhibetur; *carminativum effectum* quoque exferit, ei ideo etiam in *affectibus flatulentis*, praesertim, si corpus *pituitosis humoribus* scaturit, e. g. in *colica flatulenta, stranguria* et *ischuria* a frigida causa, e. g. *cerevisia male defaecata*, ortis, porrigitur. Quando *pectoris morbi diathesin inflammatoriam* induunt, sollicito vitandus est, uti etiam caveatur, ne in illis corporibus, quae ad hanc diathesin prona, largiori eius usu, *inflammatorii morbi* reddantur.

253. *Spiritus salis ammoniaci aquosus.*

§. 702. Rec., *Salis Ammoniaci pulverati* Libram dimidiam.

Cinerum clavellatorum depuratorum Libram unam.

Immittantur *Cucurbitae vitreae*, et affunde

Aquae communis Libras quinque.

Ex *Retorta*, iuncturis probe lutatis, leni igne instituaturne distillatio, quae eo usque protrahatur, donec *Spiritus* transiens, omnem *sublimatum* et in collo *Retortae* haerentem *Salem* solverit, minusque salinus esse percipiatur;

tur; quo adparente, *excipulum* muretur, et *Spiritus Salinus* primo prolectus seorsim serveatur ad *usus medicos*.

§. 703. In morbis, ubi *pituitosorum* et *crassorum humorum* copia adest, e. g. in talibus morbis *pectoris*, *febris* intermittentibus et morbis chronicis variis, cum vehiculo a *Guttis* quindecim usque ad triginta, tanquam *resolvens*, *incidens* et *diureticus* datur. Insuper *menstrua* pellit, et ideo in eorum retentione, praesertim, si corpus *lenta pituita* abundet, praescribitur. Tempore *frigoris*, in *intermittentibus*, si illud ingens est, recte etiam ad *Guttas* triginta, in *Theae* vasculo porrigitur.

Externe pro *odoramento* ad solvendam *pituitam* in *gravedine*, et discutiendas *pituitae stases* conducit, et ut *cephalicas* induat *vires*, varia *Olea aetherea* in eo solvi possunt. *Resolvendi* etiam scopo, modo *inflammatio* non adit, *membris* illini potest.

Spiritus Salis Ammoniaci volatilis vinosus easdem habet *vires*, nisi quod praestantior et efficacior priori sit; hincque etiam consulto ei praefertur.

254. *Spiritus salis ammoniaci volatilis vinosus.*

§. 704. Rec., *Salis Ammoniaci pulverati* Libram dimidiam.

Cinerum clavellatorum depuratorum Libram unam.

Immittantur *Cucurbitae vitreae*, et affunde

Spiritus Vini Libras duas.

Ex *Retorta* iuncturis probe lutatis destilletur *leni igne*, et *Spiritus volatilis* prodeuntis *Libra* circiter colligatur.

De *viribus* vid. §. *praeced.*

255. *Spiritus salis ammoniaci volatilis urinosus.*

§. 705, Rec., *Calcis vivae recens ustae* Libram unam,

Salis Ammoniaci *Vncias* quatuor.

Seorsim pulveratis mixtis cito *cucurbitae vitreae* immixtis superfunde

Aquae fontanae Libras quatuor.

Ex

Ex Retorta tubulata, iuncturis probe lutatis, statim leni igne insituatur *destillatio* et Spiritus Vnciae octo proluciantur, qui, in vitro optime munito servetur.

§. 706. Ad Guttas decem, quindecim, viginti et ultra, cum multa Aqua datus, potentissimum praebet *resolvens* et *excitans*, quod in morbis *pituitosis*, *catarrho suffocativo*, *apoplexia serosa*, *scapitis doloribus*, qui a stagnanti *pituita* oriuntur, et ad eos excitandos, qui in aqua submersi sunt, maximi est usus. An vero etiam in morbis *arthriticis*, *paralyticis* et ipsa *rabie canina*, tale nunquam fallax remedium sit, uti quidam recentiorum volunt, non confidenter et audacter confirmabimus. Externe Spiritus noster pro excitandis *apoplecticis*, *epilepticis*, *soporosis*, *syncopiticis* et *hystericis*, uti quoque pro illinendis membris, quae *paralysi* tonum amiserunt, adhibetur. Prodest quoque in tumoribus *cysticis* incipientibus, quos saepe feliciter dissipat. Caeterum excitandi scopo in *plethoricis* non nisi venae sectione larga praemissa, applicetur.

SPIRITVS SALIS COMMVNIS ACIDVS. Vid. N. 9.

256. Spiritus salis communis dulcis.

§. 707. Vid. §. 698. Nobilissimum medicamentum est, quod a multis temere negligitur (et Spiritui Niri dulci tantum aequiparatur. Insignes possidet vires incidentes, *aperientes*, *carminativas*, *diureticas*, *antisepticas*, *antispasmodicas* et *anodynas*. Recte igitur praescribitur in febribus *putridis*, *biliofis*, *malignis*: ubi *putredini* non solum resistit, *bilis acrimoniam* corrigit, et *crossos humores* incidit, sed etiam simul *spasmos*, harum *februm* comites, aufert, et *nervorum inordinatos motus* compefcit. Non minus prodest in *diarrhoeis*, *dysenteriiis*, *doloribus colicis*, *nephriticis*, in *haemorrhoidibus* nimis *fluentibus*, vel si eas *spasmi* et *colici dolores* concomitantur, in *ventriculo debili*, *cholera*, in *flatulentia hypochondriacorum*, in *menstruis dolorificis*, ad *spasmos* et *dolores* in *arthriticis* et *podagricis* mitigandos et tollendos. Datur a Guttis quadraginta usque ad centum et viginti, quin, si morbi *vehementia* id postulat, maiori portione. Exhibetur, aut additis tantum Aqua *destillata* et *Syrupo quodam* vel *Saccharo*, aut in *Mixturis* cum aliis coniungitur Medicamentis: *Potionibus laxantibus*, quae ex eis rebus e. g. *Manna*, *Cassia* constant, quae in debilibus facile *flatulentos effectus* procreant, consulto etiam aliquot nostri Spiritus Drachmae adduntur. Tandem in *ariginae* variis speciebus, aliqua eius portio *Gargarismatibus* admiscetur, et *oris ulceribus* cum *Melle* mixtus convenit.

257.

257. *Spiritus serpilli.*

Vid. §. 696. et 697.

258. *Spiritus terebinthinae.*§. 708. Rec., *Terebinthinae* Libras duas.

Funde in

Aquae fontanae Libris sex,et deinde destilla *lento igne ex vesica*
ad tertiam repleta, et post destilla-
tionem, *Spiritum* ab *Aqua* separa.*Residuum*, quod in *vesica* remanet, praebet *Terebin-*
thinam costam.

§. 709. *Membranis, nervis, tendinibus, laceratis, punctis, sectis, semisectis*, calide infusus, incomparabile *anodynum, antispasmodicum* et consolidans praebet. *Arteriis, venisque* in magnam *haemorrhagiam laesis*, promptissimum et securissimum *stypticum* constituit, si tam calide quam aeger ferre potest, spleniis appressis applicetur; simul *nervis* prospicit, *putredini* resistit et *vasorum consolidationem* promovet, unde non satis laudandus deprehenditur. Valet etiam *parribus gangraenosis* et *sphacelosis* antea *scarificatis* applicatus. Pari modo *tumores frigidos*, si eis calide infricetur, discutit, et in *ostium carie exfoliationem* promovet. Vid. H. BOERHAVII *Elem. Chym. T. II. proc. 35.* Ganglion ad carpum ortum, eo quotidie illito B. PLENCIVS dispulit. Vid. *Eius Mat. Chir. p. 453.* *Interne* a Guttis decem usque ad quindecim datus, *diuresis* quidem satis valide excitat, et tanquam *basamicus* et *mundificans*, in *gonorrhoea* laudatur, sed ob calidam et urentem eius indolem, et in *vias urinarias* tam actuosas vires, ut non raro ipsum *mixtum cruentum, renum et aliarum partium inflammationem* cieat, ut *interne* exhibeatur, suadere non possumus; et ideo eis, qui tamen cum eo periculum facere non abdicabunt, saltim inculcamus, ut circumspecte illum adhibeant. Tanta penetrabilitas huic *Spiritui aethereo* inest, ut cuti infricatus, ipsam *urinam odore violaceo* dotet. Vid. KAAVW BOERHAAVE de *perspir. N. 430.*

Terebinthina costea uti *Colophonium* ad *Emplastra* sumi potest; utiliter etiam *vulneribus* et *ossibus cariosis* pro excitanda leni *suppuratione* insperguntur. *Fumus* ex accensis *Terebinthina costea* seu *Colophonio, phibiscos* magis onerat quam eis prodest, uti toties invenimus.

259.

259. *Spiritus vini camphoratus.*

§. 710. Rec., *Spiritus Vini rectificatissimi* Libram unam.

Huic adde

Camphorae Sefquiunciam.

Stent ad *Camphorae* solutionem, et
usui serua.

§. 711. Egregie quidem discutit, dissipat et roborat, ideoque in semiluxatis, luxatis, et ad roborandas partes, in tendinum et ligamentorum debilitate applicetur: sed ubique vitandus, vel ubi fibrarum rigiditas conspicitur, vel ingens inflammatio adest, vel quando decubitus humorum proxime sub cute haeret, e.g. in erysipelate, ubi humores coagulando, exulcerationi facile ansam praebet. Ad dissipandas sugillationes quoque merito alia praeferruntur. In genere notandum, usum *Spiritus camphorati*, non adeo diu protrahendum esse, et *Spirituum* applicationem melius in Chirurgia restringi, quam ampliorem reddi.

Spiritus Vini crocatus, praeter has proprietates, insuper, quidem vim anodynam praestat, et ea ex causa, ubi dolores ingentes adsunt, applicetur; sed etiam ratione inflammationis, adhuc maiorem, quam *simplex camphoratus*, potest cautionem. In capitis doloribus, quando a causis frigidis orti, alter aut alter, cum lintheaminibus applicati, saepe satis cito eos tollunt. Fomentationibus, quae resolvendi scopo applicantur, *Spirituum* horum debita portio addi potest. Multos homines, ex idiosyncrasia, externam *Spirituum* applicationem non tolerare, adhuc notetur.

260. *Spiritus vini crocatus.*

§. 712. Rec., *Spiritus Vini camphorati* Uncias duas.

Tincturae Croci Drachmas duas.

Misceantur.

De usu vid. §. praeced.

261. *Spiritus vini rectificatus.*

§. 713. *Spiritus Vini*, ex vesica cuprea, per alembicum fenneum destilletur, et sic a phlegmate suo, ad maximam partem separetur.

§. 714. Ad multa medicamenta paranda inservit, et externae tanquam roboranti, partes debilitatae eo fomentari possunt, et ideo talibus Fomentationibus additur.

Piderit Pharmacia,

Q

Spi-

sica
lla-
bin-

Etis,
an-
e in
issi-
po-
pu-
non
rae-
tu-
tum
lem.
oti-
r. p.
diu-
s et
ren-
, ut
cium
non
cere
llum
nest,
Vid.

fumi
exci-
s Te-
quam

59.

Spiritus Vini rectificatissimus, qui ab omni *Phlegmate* liberatus est, praeterea *sanguinem* coagulat, et *fibras vasorum* crispat; ideo ad optima quae in *Chirurgia* habemus, *Styptica* pertinet, et cum *parvis linteaminibus*, vel *plumaceolis* ea ex causa in *haemorrhagiis externis* applicatur, cum effectu satis certo. Valet etiam in *vulneribus nimis suppurantibus*, in *fistula ani* et *ligamentorum atonia*. Nocet vero *Spiritus Vini* in *vulneribus cerebri*, in *inflammationibus* et ad *ambusta*, quae *gangraenescere* incipiunt.

262. *Spiritus vini rectificatissimus.*

§. 715. *Spiritus Vini rectificatus* ex *Cucurbita vitrea* in *arena*, tamdiu depuratur, donec ab omni *Phlegmate* immunis sit, et *pulverem pyrium* eidem superfusus et accensus in flammam abripiat.

De usu vid. §. praec.

SPIRITVS VITRIOLI ACIDVS. Vid. Nr. 11.

SPIRITVS VITRIOLI DVLCIS. Vid. Nr. 141.

263. *Spongia cerata.*

§. 716. *Spongiae* maximae, diligenter a *fordibus* mundatae, probe imbibantur *Cera liquata* et *fervida*; quo facto calentes adhuc sub *prelo* arctissime comprimantur, ibique derelinquantur, usque dum refrixerint.

§. 717. Ad dilatanda *ulcera* inservit.

264. *Spongia usta.*

§. 718. *Spongiae* probae notae, *aperto igne* ustulentur, donec nigrescant, quo facto pulverentur in *mortario lapideo* et usui serventur.

§. 719. *Diureticam* possidet virtutem; praecipue ad *strumas* et *affectus scrophulosos* ad *Scrupulum* in die data, valet.

265. *Squilla praeparata.*

§. 720. *Squillae Squamae* a se invicem separentur, et calore mediocri modice siccentur.

§. 721. Ad *obstructiones* solvendas, *humores crassos pituitosos* in *asthmaticis* et aliis *morbis pectoris* ex *pulmonibus* educendos, et *urinam* in *leucoplegmaticis* et *hydropicis* pellendam aut in *substantia* a *Grano uno* usque ad *quatuor*, sensim ascen-

pendendo, exhibetur, aut in forma *Infusi* vel *aquosi* vel *vinosi* datur, ita quidem ut *Squillae radice pulveratae* Grana octo cum Vnciis octo *Vini* vel *Aquae*, per noctem digerantur et tunc pluribus cochlearibus ad nauseam usque, per diem sumatur: ubi quidem notandum, *Infusum vinosum* facilius nauseam et vomitum excitare, quam *aquosum*. Ad vomitum sciendum, *Squillae pulvis* non praescribitur; aliis remediis resoluventibus et diureticis vero in minori dosi, tanquam coadiuvans additur. Caetera vid. §. §. 291. 603. et 621. *Infusum aquosum* etiam pro *Gargarismatibus* inservit, quae in *angina pituitosa*, *auditus gravitate*, ab accumulata *pituita* orta, et aliis morbis capitis serosis valent.

266. *Succus berberum.*

§. 722. Rec., *Fructuum Berberum maturorum* quantum vis.

Contunde in *mortario lapideo*, et in *vase terreo* per aliquod tempus in cellam repone; tunc *Succum* exprime: hic iterum per aliquot dies stet in cella, et postea per *pannum colatus*, in *vitro collo angustiori* praedito, super adfuso *Oleo*, in loco frigido adservetur.

Eodem modo ex *Malis Citreis Succus Citri*,

et ex *Cydoniis, Succus Cydoniorum* parantur.

§. 723. *Succus Berberum* in morbis inflammatoriis, biliosis, putridis, ad aliquot Vncias *Mixturis* addi potest, et loco *Aceti* inservit, eo tamen discrimine, quod hoc suave *Acetum*, ab omnibus partibus oleosis liberum sit, et ideo, ubi *Acetum Vini* ob has partes fugiendum sit, praescribi possit. Pro aegrotorum *poru ordinario acidulando* maxime conducit, et peperam a multis succus noster, vel alia ex *Berberibus* remedia, pro *stypticis* censentur. *Succus Citri* quoque quidem, in morbis inflammatoriis et ad aestum temperandum, exhiberi potest; sed minori gaudet aciditatis gradu: Succi enim Vncia una, iam a Granis triginta uno *Salis alcalini depurati* saturatur; cum tamen, ad *Berberum Succum* parem portionem, Grana quinquaginta tria requirantur, et deinde etiam a partibus oleosis non plane liber sit. Caeterum hi Succi uti etiam ii, qui ex *Cydoniis, Cerasis acidis, Ribium* et *Rubi idaei fructibus* exprimuntur, ad *Roob* et *Syrupos* parandos, in *Pharmacopoeis* adserventur.

267. *Succus cerasorum acidorum.*§. 724. Rec., *Cerasorum acidorum* quantum vis.

Contunde in *mortario lapideo*, et per aliquot dies in cellam repone; postea *succum* exprime, iterum in cellam per aliquot dies repone, et per pannum cola. Deinde

Recipe, *Succi huius* Libram unam,
adde

Sacchari albi Vncias tres,

et post unicam ebullitionem cola, et in vitro uti antea §. 722. dictum fuit, ad usum serva.

Eodem modo ex *Ribium* et *Rubi idaei* fructibus, *Succi* conficiuntur.

De usu vid. §. praec.

268. *Succus citri.*

Vid. §. §. 722. et 723.

269. *Succus cydoniorum.*

Vid. §. §. 722. et 723.

270. *Succus dauci sativi.*§. 725. Rec., *Radicum Dauci sativi* quantum vis.

Ex his exprimatur *Succus*, qui leni calore ad *Mellis* consistentiam reductus, ad usum servetur.

§. 726. Inter *bechica domestica* optima pertinet, et itaque in *tussi aeri* et *raucedine* adhibetur. In *aphthis* cum *Melle* mixtus etiam valet.

271. *Succus liquiritiae.*

§. 727. Ex *radice Liquiritiae* expressus, *Bamberga* et ex *Hispania* ad nos venit.

Optimus sit ex *rufo fusci*, si frangitur, *nigri splendentis*, et quando in fila distrahitur, *nitidi aurei coloris*, *saporis dulcis*, *odoris suavis non empyreumatici*, et *linguae impositus omnis deliquescentis*.

§. 728. Tamquam *bechicum* eximium, in *tussi aeri* lambendo fumitur.

272. *Succus ribium.*

Vid. §. §. 723. et 724.

273. *Succus rubi idaei.*

Vid. §. §. 723. et 724.

274. *Sulphur auratum antimonii.*§. 729. Rec., *Liquoris, ex quo Kermes minerale praecipitatum fuit, Libras duas.*Postquam filtratus, ei in vase vitreo adde
*Aquae communis destillatae, Libras duodecim, et tunc infilla**Acidum Vitrioli tenuis, tamdiu, donec nullus pulvis amplius praecipitatur.*

Tandem pulvis praecipitatus chartae emporeticæ imponatur, ut ab aqua separetur: deinde aqua calida sufficienter edulcoretur et siccetur.

De usu vid. §. 504.

275. *Sulphur auratum liquidum.*§. 730. Rec., *Sulphuris aurati saponati, mox describendi, exsiccati, Vnciam unam,**Spiritus Vini rectificati Libram unam;*
Digere per tres dies et filtra.Haec *Tinctura* abstrahatur ad dimidiam partem: Postea affunde praescriptae quantitati *Sulphuris aurati saponati,**Tincturae alcalinae ad eminentiam trium digitorum.*

Terantur per aliquot horas in mortario lapideo;

Postea *Cucurbitae vitreae* immittantur, et per nycthemeron digerantur, ut omnia probe solvantur, et *Tinctura* dulcis evadat.Cum facile *Tinctura* haec rancorem acquirat, praestat eam in minori quantitate parare.

§. 731. *Distinctam huius eximii Medicamenti descriptionem et primam, clariss. IACOBI debemus. Praestans est resolvens remedium, quod non solum varias corporis excretiones praesertim sudoris promovet, sed humores lentos et viscidos etiam incidit. Prodest ergo in viscerum obstructionibus, in morbis arthriticis, leucoplegmaticis, hydropicis, asthmaticis, in cutis et sanguinis impuritatibus, et in genere in omnibus morbis, in quibus §. 313. Antimonium crudum, et §. 504. Kermes minerale et Sulphur auratum commune laudavimus. Commodè etiam omnium aliarum Antimonii Tincturarum locum supplere potest. Hoc bis in die a Guttis triginta ad sexagiuta, in appropriato vehiculo, alterum vero, quod Saponarum vocatur, eodem scopo, a Granis quinque usque ad octo, bis terve per diem datur. Plura vid. in Aët. Acad. Elect. Mogunt. T. I. et clar. GVERICKE Dissert. de Sulphur. aurat. liquid.*

276. *Sulphur auratum saponatum.*

§. 732. *Rec., Liquoris, ex quo Kermes minerale praecipitatum fuit, Libram unam. Huic adde Olei Amygdalarum recenter expressi Vncias tres.*

Coque, et inter coquendum pedetentim instilla

Lixivii caustici quantum sufficit, ut massa saponis consistentiam acquirat.

De usu vid. §. praec.

277. *Syrupus amygdalinus seu emulsivus.*

§. 733. *Rec., Amygdalarum dulcium excorticatarum Vncias octo, amararum excorticatarum Vncias duas.*

Contunde per unam duasve horas in mortario lapideo, successive addendo

Aquae fontanae Libram unam.

Postea massam sacculo linteo inclusam, preli ope exprime. Deinde

Recipe, Sacchari albi Libram unam.

Coque in

Aquae

Aquae fontanae Libra dimidia,
tam diu, donec *Saccharum tabulati* con-
sistentiam acquisiverit.

Tandem *Saccharum* hoc *Emulsi*
praescriptae adde, per *pannum cola*,
et *Syrupum* hunc, in *vase vitreo* vel
porcellaneo ad usum serua.

§. 734. Ad edulcoranda *Medicamenta*, conficiendas
*Emulsi*ones, ad solvendas *Resinas* inservit. Pro *Emulsi*
onibus ad *Aquae* Vnciam *Syrupi* Drachma sufficit.

278. *Syrupus acetositatis citri.*

§. 735. Rec., *Succi Citri* recenter expressi Vncias
decem,
Sacchari clarificati et ad consistentiam
tabulati colli Vncias sedecim,
Fiat unica ebullitione *Syrupus*, qui
colatus servetur.

Eodem modo ex *succo Berberum* probe defaecato, *Sy*
rupus Berberum paratur.

§. 736. Hi, uti etiam *Syrupus Ceraforum acidorum*,
Ribium et *Rubi idaei*, ad *Iulepos temperantes*, ita adhi-
bentur, ut communiter talis *Syrupi* Drachma, ad *Iulepi*
Vnciam veniat. *Syrupi* ex *Berberibus* et *Citri succo*, cae-
teros aciditate superant; ille ex *Fructibus Rubi idaei*, refi-
cientem habet saporem.

279. *Syrupus Althaeae.*

§. 737. Rec., *Radici Althaeae*,
Graminis,
Herbae Althaeae, ana Vnciam unam.
Passularum mundatarum Vnciam di-
midiam.
Coquantur cum
Aquae fontanae Libris tribus,
ad remanentiam dimidiae partis.
Deinde cum
Sacchari albi Libris duabus,

Q4

unica

unica ebullitione fiat lege artis *Syrupus*, qui colatus servetur.

§. 738. *Medicamentis demulcentibus et bechicis* additur. Primam descriptionem dedit FERNELIVS *method. med. L. VII. p. 130.*

280. *Syrupus berberum.*

Vid. §. §. 735. et 736.

281. *Syrupus cerasorum acidorum.*

§. 739. Rec., *Succi Cerasorum acidorum* probe defaecati Vncias decem,
Sacchari clarificati et ad consistentiam tabulati cocti, Vncias tredecim cum dimidia,

Fiat sicut §. 735. dictum fuit, *Syrupus*. Eodem modo ex *Ribium* et *Rubi idaei Succis*, *Syrupi* parantur.

De usu vide §. 736.

282. *Syrupus communis.*

§. 740. *Sacchari albi* Libram unam.

Solve in

Aquae fontanae ferventis Vnciis novem,
et post unicam ebullitionem cola.

§. 741. *Edulcorandis Medicamentis* inservit.

283. *Syrupus corticum aurantium.*

§. 742. Rec., *Corticum Aurantium ab albedine mundatorum* Vncias duas,

Vini albi generosi Libras duas.

Macerentur per nycthemeron in loco calido, vase probe obturato.

Postea *Vinum* decantetur, filtretur et cum *Sacchari clarificati et ad consistentiam tabulati cocti* Libris duabus, miscendo fiat *Syrupus*.

Eodem modo ex *Cortice peruviano*, *Syrupus* paratur.

§. 743. *Mixturis stomachicis et carminativis* additur.

284. *Syrupus corticis peruviani.*

§. 744. vid. §. 742. *Infantibus*, qui alia, in *Corticis forma*, non admittunt, dicatus est, et in eorum *febris intermittibus*, *viscerum concoctionis debilitate*, et aliis *morbis*, in quibus *Cortex* prodest, a Drachmis duabus usque ad sex, ter quaterve in die datur. Consulto etiam *pro adultis*, in *Medicamentorum antifebrilium et tonicorum* praescriptione ad aliquot Vncias additur.

285. *Syrupus diacodion.*

§. 745. Rec., *Capitum Papaveris albi, mediocriter maturorum, modice siccatorum et a seminibus mundatorum*, Libram unam.

Macerentur per nychthemeron in *Aquae fontanae* Libris octo.

Probe cocta exprime fortissime, et colaturae Vncias novem adde

Sacchari albi Vncias sedecim, et unica ebullitione fiat *Syrupus*, qui colatus servetur.

§. 746. *Syrupum* hunc iam descripsit GALENUS in *Libr. de comp. Medic.* et deinde eum laudaverunt ALEXANDER TRALLIANUS et I. B. MONTANUS, Non quidem eum tantarum *virium anodynarum* putamus, ut cum SYDENHAMO Vnciam *Laudani liquidii* Guttis sedecim equiparemus; aliqualem interim *virtutem anodynam* exserit, et ideo consulte *Potionibus*, quae vel in *diarrhois nimis*, vel in variis *doloribus*, praescribuntur, ad aliquot Vncias additur, et in genere, ubi *anodynum moderatum* desideratur, exhibetur. Quoniam simul *acres et salfos humores* involvit, pari modo etiam in *tussi acri*, *urinae ardore* et aliis talis generis affectibus adhibetur.

SYRUPVS EMVLSIVVS. Vid. Nr. 277.

286. *Syrupus florum cassiae.*

§. 747. Rec., *Florum Cassiae crassiuscule contrusorum* Vncias duas, immitte *cucurbitae vitreae* et adde

Q5

Vini

Vini albi generosi Vncias viginti.

Stent in loco calido, vase bene obturato,
per nychthemeron, et filtratis adde
*Sacchari clarificati et ad consistentiam
tabulati cocti*, Libras duas.

Fiat lege artis *Syrupus*.

§. 748. Ad *Medicamenta analeptica et stomachica* venit.

287. *Syrupus rhabarbari.*

§. 749. Rec., *Tincturae Rhabarbari aquosae saturatae*
Libram unam.

In ea solvantur

Sacchari albissimi Librae duae.

Lenissimo igne redigantur ad *Syrupi*
consistentiam.

§. 750. Optimum est remedium ad *alvum leniter du-*
centiam, infantibus nuper natis; quo scopo, loco antea
consueti *Syrupi Cichorei cum Rhabarbaro*, parvis Cochlea-
ribus, ad sufficientem effectum usque exhibeatur. Valet
etiam in *obstructionibus glandularum mesenterii* et acido
in *ventriculo* praedominanti.

288. *Syrupus ribium.*

Vid. §. §. 736. et 739.

289. *Syrupus rubi idaei.*

Vid. §. §. 736. et 739.

290. *Tartarus emeticus.*

§. 751. Rec., *Vitri Antimonii pulverati* Vncias
quatuor.

Crystallorum Tartari Vncias octo.

In vase terreo vitro incrustato miscean-
tur, et cum

Aquae fontanae Libris sedecim,
coquantur per duodecim horas et ul-
tra, *Spathula lignea* saepius agitandas,
quo facto liquor colatus ad *siccitatem*
pulverulentam evaporetur, et in vase
vitreo clauso servetur.

In

In aëre humido semper aliquid ex eo *Tartarus emeticus* attrahit, et tali itaque tempore, viribus debilior reperitur, quam quando *tempore seco* praescribitur.

§. 752, Ob securitatem, dosis commoditatem et saporem deficientem, *Tartaro emetico* magna laus tribuenda est. Ad vomitum ciendum, *infantibus ultra annum*; octava, *bi- et triennibus*, a quarta vero, usque ad dimidiam Grani partem, et paulo *robustioribus qui annos sex, octo, decem habent*, usque ad integrum Granum datur. Pro *adulto*, dosis ordinaria, Grana duo, tria imo quatuor sunt. Certi morbi, e. g. *melancholia, mania, epilepsia* et propria quaedam *insensibilitas*, saepe maiorem exigunt dosin; ita ut non raro integrum Scrupulum dosis transgrediatur, quod quilibet *Medicus*, pro rerum circumstantiis determinare debet. Ex his vero rationibus, et quia *Vomitoria* ex ipsorum natura, sive sit noster *Tartarus emeticus*, sive *Ipecacuanbae radix*, sive aliud, modo fortorem modo leviozem effectum edunt, *modus Emerica paulatim, exiguis et repetitis portionibus, usque ad sufficientem effectum porrigere*, tanquam securissimus, cuilibet *Medico* commendatus esto. Eo scopo *Tartarus noster*, cum multa *Aqua destillata* solvi potest, e. g. quodlibet Granum in una *Vncia*.

In genere, circa *Emericorum* administrationem, observandum, ea tanquam remedia quidem esse consideranda, quibus magna *Medicus* efficere potest, si secundum *rationales indicationes*, quas sana Therapiae cognitio subministrat, adhibeantur, quin in multis *morbis* e. g. *febribus biliosis, putridis, malignis, intermittentibus, dysenteria biliosa, putrida, catarrho suffocativo, ventriculi oneratione nimia, ante februm exanthematicarum eruptionem, in casu veneni accepti, fere semper unica et primaria esse*, a quibus tota et universa aegroti salus pendet; sed simul, si incongrue, et non secundum bene fundatas indicationes praescribantur, *Medicamina* evadere, quae tunc tanto etiam in gradu nocent, et saepe omnem sanandi spem plane adimunt. Ubi ergo, ad exhibendum *Vomitivum*, indicatio non satis manifesta observatur, e. g. in *pleuritide biliosa, haemoptysi, cum bilis saburra coniuncta, dysenteria*, quam statim ab initio *ingens inflammatoria febris* concomitatur, in *cholera*, in *morbis apoplecticis, in haemorrhoidariis*, vel plane vitandum, vel tempus, quo dandum, sollicite investigandum est, uti et cum summe diligentia inquirendum, an non alia remedia, e. g. *Venae sectio, Laxantia* etc. *Vomitivum* praemittenda sint, aut saepe illud tali cum cautione et ita subministrandum sit, ut tantum *leviori gradu* effectus suos producat. Caetera, quae, vel *Vomitivorum usui* obstitunt, e. g. *plethora ingens, vomitus cruentus, seu dispositio ad eum,*

morbi

morbi nephritici, viscera infimi ventris scirrhusa vel corrupta, pectoris suspecta conditio e. g. polypi cordis, hydrops pericardii seu pectoris merus, hernia considerabilis, (*) hysterica passio, graviditas ad ultimos menses progressa (***) etc. vel circa eorum applicationem notanda sunt, e. g. ut *alvus sit aperta*, quod *Aqua tepida* largiter data, sub medicamenti actione, aegro succurrendum, *Therapia* docet. In phthificis quidem ab eorum administratione nullam noxam, non autem tantam utilitatem observavimus, quantam eis *clar. REID* adseribit. In ictericis vero, circa eorum usum, maxima adhibenda est cautio, quoniam ab eis inconsiderate praescripta, tristissimos et funestissimos vidimus effectus. Quando maiorem irritationem metuimus, bono cum successu, aliquot horas post assumptum leve prandium, *Vomitorium* adhibuimus. Caeterum notandum, non tantum ad illum effectum solum respiciendum esse, quem in educenda quadam materia, *Emetica* praestant, sed etiam influxum considerandum, quem motus illi, in universum vasorum se- et excretoriorum et ipsum nervorum systema habent, et inde obstructions in vasis minimis et partibus remotis referando, in diversis morbis e. g. mania, epilepsia, curam absolunt. In *Tartaro emetico* praesertim ad eius vires diaphoreticas et antispasmodicas respiciendum est, quas post vomitus excitatos exserit. Quoniam vero simul etiam facile per *alvum* operatur, ibi, ubi hoc vitandum *Medico* videtur, *Ipecacuanha*, vel in *Substantia* vel in *Infuso vinoso* data, praefenda est; ubi vero humorum tenacium crassorum copia adest, *Tartarus emeticus* longe efficacior deprehenditur.

In minori dosi, ita ut vomitum non excitet, *Tartarus emeticus* datus, eximie resolvit, referat, et varias excreciones, sudoris nimirum, urinae et alvi promovet, et hoc modo in multis morbis, e. g. obstructionibus viscerum, affectibus cachecticis, hydropicis, melancholicis, etc. exoptatissimum exserit effectum. Quoniam sine insigni sanguinis commotione, sudorem excitat, et si ad nauseam usque datur, nimiam nervorum irizabilitatem tollit, praestans eius etiam est usus, non solum ante exanthematum, e. g. variolarum eruptionem, sed etiam in febribus malignis, putridis, biliosis, intermittentibus, dysenteria, (***) malo hysterico, convulsionibus, primis viis antea purga-

(*) Quamquam multi in herniis, nimis formidant vomitoria, tamen in considerabilioribus, usum eorum non suademus.

(**) Vomitoria in graviditatis principio, non nocere, testantur vomitus spontanei, quibus per plures menses saepe gravidae citra foetus damnum cruciantur.

(***) *Ipecacuanha* ad Granum unum vel duo data, in hoc casu nobis praesertenda videtur, et exoptatissimum inde vidimus effectum.

purgatis, conducit. Tali modo datum utilem repererunt *Viri de Scientia nostra immortales* WERLHOFFIVS, MONRO, PRINGLE, TISSOTVS, NICOLAI. Pari modo, uti iam FR. HOFFMANNVS monet, in *morbis pectoris a copia humorum pituitosorum ortis, asthmate, dyspnoea* etc. tanquam optimum *resolvens* valet, et in *russi convulsiva infantum*, ob *vires eius antispasmodicas* magna efficit. Vid. FOTHERGILL *Medical observ. by a Society in London Vol. III. pag. 119.*

Vbi in *Enematibus irritans* quoddam *potentius desideratur*, *Tartarus emeticus*, a Granis tribus usque ad sex eis additus, rei satisfacit. Ad Granum unum *Clysmatibus* additus, laudatur etiam tanquam optimum remedium, in *infantibus ad acidum et corruptam acidam pituitam ex primis viis educendam*,

291. *Tartarus solubilis.*

§. 753. Rec., *Crystallorum Tartari* Libram unam.

Solve in sufficiente quantitate

Aquae fontanae ferventis,

deinde liquori colato sensim et guttatim instilla

Spiritus Salis Ammoniaci aquosi tantum, quantum ad perfectam saturationem sufficiat.

Postea *liquor salsus*, percolatus, in *vase vitreo* leniter evaporetur ad *ficcitatem* usque.

De usu vid. §. 524.

292. *Tartarus tartarisatus.*

§. 754. Rec., *Cinerum clavellatorum depuratorum* Libram unam.

Solve in

Aquae fontanae bullientis Libris duodecim.

Solutioni bullienti admisce paulatim

Crystallorum Tartari, donec omnis *effervescentia* cessat.

Liquor calidus insuper filtretur, et ad *ficcitatem* usque, in *aheno stanno probe obducto* evaporetur. Tandem

in

in charta emporetica, leni calore
pulvis siccetur.

Quando in fine evaporationis grumo-
sus fiat, spatula lignea agitetur.

De usu vid. §. 524.

293. *Tartarus vitriolatus.*

§. 755. Rec., *Liquaminis Tartari* Vncias octo.

Immitte in *Vas vitreum* capax, et gut-
tatim instilla

Acidi Vitrioli tenuioris quantum suffi-
cit, donec omnis *effervescentia* cesset,
et diu concusso agitatove vitro, li-
quoreque gustato, in eo nec *acidus*
nec *alcalinus* adfit sapor.

Postea liquori adde

Aquae fontanae fervidae Libras octo.

Tunc coletur, inspissetur ad cuticu-
lam usque, in locum frigidum ad
Crystallisationem reponatur, et Cry-
stalli siccentur.

Procurant quidem sibi *Pharmacopolae* *Sal hoc medium*,
viliori pretio a *seplasiariis*: tunc vero illud prius in *Aquae*
sufficienti quantitate solvatur, et addita insuper aliqua
Liquaminis Tartari portione, denuo crystallifetur.

De usu vid. §. 524.

294. *Terebinthina cocca.*

Vid. §. §. 708. et 709.

295. *Terra foliata tartari.*

§. 756. Rec., *Cinerum clavellatorum depuratorum*
Vncias quatuor.

Immittantur vitro amplo, et successive
affunde

Aceti Vini destillati, quantum suffieit
ad perfectam *Cinerum clavellatorum*
saturationem.

Postea

Postea *Liquor* per *chartam emporeticam* filtretur. Deinde

Recipe, *Liquoris huius* partem quartam, et evapora cum *leni igne* in *Cacabo stanno probe obducto* ad *ficcitatem* usque; quo notandum, si *Sal grumosum* evadat, ignis gradum, quantum potest minuendum, et *massam bacillo ligneo* continuo tamdiu agitandum esse, usque dum *Sal* plane *exsiccatum* fuerit.

Eodem modo ad reliquas tres portiones, partitis vicibus progredere. Tandem *Sal perfecte saturatum*, *Aqua fontana* solvatur; *Solutio* per *chartam bibulam* filtrata, rursus *inspilletur* et *siccatum Sal*, cum *vitro probe munito*, in *loco sicco* et *calido* servetur.

De usu vid. §. 524.

296. *Tinctura asae foetidae.*

§. 757. Rec., *Asae foetidae* Vncias duas.

Infunde

Spiritus Vini rectificati, Libram unam.

Extrahe *leni calore* per triduum digerendo, *Tincturam*, quam filtratam serva.

§. 758. De *viribus* vid. §. 33. *Tinctura nostra* datur a Drachma una ad binas, bisve terve in die.

297. *Tinctura cantharidum.*

§. 759. Rec., *Pulveris Cantharidum* Drachmas duas.

Acidi Nitri Vnciam unam.

Spiritus Vini rectificatissimi Vncias quatuordecim.

Digere in *arenae balneo* per quatuor dies, et adde

Camphorae Drachmas duas.

Denuo *leni calore* digere, et filtratam

Tincturam ad usum serva.

§. 760. Ad *potentissima diuretica* pertinet, simul tanta cum *violentia* agit, ut non raro *mictum cruentum*, et *viarum*

urinae inflammationes excitet; et ideo, si adhibetur, hoc magna observata cautione fiat. Encomia, quibus IO. GROENEVELT, IO. BRISBANE, et quidam alii eiusdem linguae scriptores, *Tincturam* hanc in diabete, *spasmodicâ urinae retentione*, in *affectionibus asthmaticis*, *morbis cutis*, *passionibus hysteriis*, et ad *urinam in hydropicis* pellendam, extollunt, nimis temeraria sunt, quam ut eis obtemperari possit. Nam quod *Cantharidum vim antispasmodicam* attinet, quae eis adscribitur, eam adhuc valde dubiam iudicamus, et ideo, in *affectionibus hysteriis*, *asthmaticis* et *urinae retentione spasmodico*, eo magis *Tincturae* huius usum noxium declaramus: quia *Cantharides stimulo* et *inflammationem excitando*, certe plerumque mala haec peiora reddunt. Quomodo deinde in *cutis morbis* medicamentum, quod, ob *Sal alcali* et *acre suum* agit, optatum effectum exferere possit, non videmus. Pari modo in *hydropicis*, usus eius nobis ideo non suadendus videtur, quoniam *inflammationes occultae*, quae ut plurimum in talibus *morbis chronicis*, inscio saepe Medico saeviunt, inde augentur, et *humorum resolutio* promovetur. Insuper ut ipsi videmus, saepe *Cantharidum* usus, in his aegris non solum *urinae retentionem*, sed etiam *partium genitalium inflammationem* excitat. In diabete tandem vero, quem ARAETAEVS *Libr. IV. de sign. chron. morb. C. XI.* descripsit, tunc quidem *Tinctura* nostra admittenda est, quando *viarum urinae paralytici* manifesta vestigia adsunt: ubi tunc *stimulando partes paralyticas* curam absolvit. Sed videatur, ne *diabetes spurius* seu *symptomaticus*, cum vero, qui tam raro observatur, ut Medici in amplissima praxi versantes, saepe nunquam eum viderint, confundatur. Deinde quoque, ad *febriculam*, quae *morbum hunc* concomitatur, et ad *humorum conditionum*, an iam ita resoluti sint, ut quasi, cum ARAETAEO, *carne* et *ossa* in *urina distuere* dici possit, respiciendum est. Alii, et inter eos etiam B. WERLHOFIVS praeterea sunt, qui in alio dirrissimo affectu, *morsu canis rabidi*, et inde orta *hydrophobia*, *Cantharidum* optimum effectum testantur: nobis vero deest, ut candide fateamur, in hac re *propria experientia*, et ideo non plane eos in hoc morbo damnabimus, sed simul maximam cautionem adhiberi, iustum esse arbitramur; uti in genere, non omnibus, qui *hydrophobia* correpti, una methode succurrendum esse putamus, sed in hoc morbo uti fere ubivis in *praxi medica* variari, pro diversa morbi et aegri singulari conditione. Sic, circa *Cantharidum* usum, adhuc generatim notandum, magis valere et prodesse in *corporibus*, quae *pituitae copia* scatent, quae non magna *irritabilitatis* facilitate aguntur: inprimis vero vitandas esse in *haemorrhoidariis*, in eis, qui ad *venum*, *viarum urinae inflammationem*, et *mictum*

cruen-

eruentum proueniunt, et in calculosis. *Tinctura* nostra datur a Guttis decem usque ad triginta, iunctis *demulcentibus* et *Emulsionibus* cum *Camphora* mixtis. STAHLIVS in *Mar. med. T. II. p. 54.* iam ad *luem veneream* sanandam, *Tincturam* hanc laudat; sed nimis temerarium consilium est.

Externe valet *Tinctura Cantbaridum*, ad *rubefaciendas partes*, si eis *infricetur*, uti quoque in *tumoribus frigidis vim resolventem* exferit.

298. *Tinctura cinnamomi.*

§. 761. Rec., *Pulveris Corticis Cinnamomi* Vncias tres.
Spiritus Vini rectificati, Libram unam.
Digere per tres dies, exprime et filtratam *Tincturam* serua.

§. 762. *Analeptica* et *roborans* est. In *mensium nimio fluxu*, quando ab *atonia partium* dependet, et *viribus prostratis haemorrhagia continuat*, optimum et uti L. B. a SWIETEN iudicat, unicum remedium est, si a Guttis viginti, usque ad quadraginta, semel in die datur.

299. *Tinctura croci.*

§. 763. Rec., *Croci austriaci* Vnciam unam.
Spiritus Vini rectificati Vncias octo.
Digere per aliquot dies, et *Tinctura*, praevia expressione, filtretur.

§. 764. *Sanguinem* expandit, *motus* eius actuose auget, *animum tristem* quodammodo exhilarat, et *anodynā vim* praestat. Laudabile ex his causis remedium quidem est, quando in *humorum pituitosorum lentore*, ad *menstrua* pellenda, et in talibus *feminis*, quae ob *corporis vitium* semper *tristes* conspiciuntur, interdum a Guttis viginti usque a sexaginta, et pro rerum circumstantiis, ultra datur, sed minime, ubi *menstruorum fluxus* tamen resistit, dosis eius augeatur et usus continetur, quia tunc certe *medicamen* nostrum tristissimos effectus pandit. In *plethoricis* praeterea, angue et cane peius vitanda remedia sunt, quae *Crocum* continent. *Externe*, pari modo aliqualem *vim anodynā* praestat.

Piderit Pharmacia,

R

300.

300. *Tinctura euphorbii.*

§. 765. Rec., *Euphorbii* Vnciam unam.
Spiritus Vini rectificati Vncias sedecim.
 Digere per triduum et *Tincturam* filtra.

§. 766. Optime *cariei* limites ponit, si a *Chirurgo* prudenti adhibeatur. Valet quoque ad *ulcera antiqua, sordida, margines ulcerum induratos*, et ad dissipandos *tumores scrophulosos*.

301. *Tinctura guaiaci volatilis.*

§. 767. Rec., *Resinae Guaiaci* Vncias quatuor.
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi Sesquilibram.

Digere sine calore, in vase clauso, et filtra *Tincturam*.

§. 768. In *arthritide, podagra sine magno febris et inflammationis gradu, et rheumatismo chronico*, datur quotidie, a Drachma una usque ad duas et ultra.

302. *Tinctura laccae.*

§. 769. Rec., *Resinae Laccae* Vnciam unam.
Myrrhae electae Vnciam dimidiam.
 Tritis in *pulverem* affunde
Liquaminis Tartari Vnciam dimidiam,
 ut fiat *pasta mollis*, cui leni igne *exsiccatae* affunde
Spiritus Cochleariae Libram dimidiam.
 Digere per triduum et *Tinctura* filtretur.

§. 770. Ad *stomacacen* et ad *alia oris ulcera* et ad *roborendas gingivas* valet.

303. *Tinctura martis.*

§. 771. Rec., *Extracti Martis* Vnciam unam.
Succi Cydoniorum Vncias octo.
 Digere per aliquot dies et *Tincturam* filtra.

§. 772. *Tinctura Martis* in *eisdem morbis*, in quibus *Extractum Martis* §. 473. laudavimus, a *Guttis viginti usque*

usque ad sexaginta et ultra datur. *Ventriculum* non ita onerat, sicut alia ex *Marte* praeparata.

304. *Tinctura rhabarbari aquosa.*

§. 773. Rec., *Radicis Rhabarbari incisae*, Vnciam dimidiam.

Tartari solubilis Drachmas duas.

Aquae communis destillatae Libram dimidiam.

Stent in loco calido per nychthemeron, et postea

Tincturam filtra.

Non in admodum magna portione paretur.

§. 774. In *diarrhoeis*, *dysenteris*, in *obstructionibus viscerum*, ubi *acidum* praedominatur, in *ictero*, tanquam *aperiens* et *leniter laxans*, ad aliquot *Cochlearia*, optimo cum effectu datur. In minori dosi exhibita *urinam* pellit. Vbi *flatulentia* et *tormina* simul adsunt, ei *Liquor anodymus mineralis Hoffmanni* bene admiscetur.

Cum altera *Tinctura*, quae vulgo *dulcis* audit et *spirituosa* et *calida* est, tantum in fine *diarrhoearum* et *dysenteriae*, et quando *febris* abest, ad *roborandas partes*, simulque ea, quae adhuc in *primis viis* restant, expellenda, ad unum duove *Cochlearia*, terve quaterve in die datur. Conducit etiam in nimio *ventriculi acido*, ad *ventriculi cruditates* educendas, ubi simul eius *vires* restituit et sustentat.

305. *Tinctura rhabarbari spirituosae.*

Vulgo *dulcis*.

§. 775. Rec., *Radicis Rhabarbari* Vncias duas.

Cardomomi minoris Vnciam dimidiam.

Spiritus Vini Gallici seu Rhenani Libras duas.

Digere per triduum, et *Tincturae* filtratae adde

Sacchari albi triti Vncias quatuor.

R 2

Di-

Digere rursus, donec *Saccharum* solutum est.

De usu vid. §. praeced.

TINCTURA THEBAICA. Vid. Nr. 138.

306. *Tinctura valerianae.*

§. 776. Rec., *Radici Valerianae sylvestris* Vncias duas.

Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni,
Libram unam.

Stent per duos dies, saepius agitando,
et filtra.

§. 777. Ad Guttas triginta, quadraginta et ultra, semel in die data, in *spasmodis hysteriis* et *nervorum debilitate* valet.

307. *Trochisci anthelminthici.*

§. 778. Rec., *Seminis Santonici* Sesquiunciam.

Salis Martis Vnciam dimidiam.

Sacchari albi pulverati Vncias octo.

Misce fiat *Pulvis*. Tunc

Recipe, *Huius pulveris* Vnciam unam cum
Drachmis duabus, et fiat cum
Mucilagine Gummi Tragacanthae,
quantum sufficit, massa, ex qua tri-
ginta *Trochisci* formentur.

§. 779. Quilibet horum *Trochiscorum*, *Salis Martis* Granum unum continet, secundum quod dosis, sicut §. 645. indicata determinabitur. Consulto *remedium purgans*, ante eorum usum, datur, et aliud eis subiungitur.

308. *Trochisci becbici albi.*

§. 780. Rec., *Pulveris radici Althaeae* Vnciam dimidiam.

Iridis florentinae Drachmam unam.

Sacchari albi Vncias octo.

Misce fiat cum

Muci-

Mucilagine Gummi Tragacanthae,
quantum sufficit, massa, ex qua
Trochisci formentur.

De usu vid. §. 597.

309. *Trochisci becbici nigri.*

§. 781. Rec., *Amygdalarum dulcium excorticatarum,*
Vncias duas.

Contunde eas in *mortario lapideo* in
pastam aequalem, et adde
Pulveris succi Liquiritiae Vncias
quatuor,

Seminis Foeniculi Vnciam
dimidiam,

Sacchari albi Vncias octo.

Misce fiat cum

Mucilagine Gummi Tragacanthae,
quantum sufficit,

Massa, ex qua *Trochisci* formentur.

De usu vid. §. 597.

310. *Trochisci temperantes.*

§. 782. Rec., *Salis Acetosellae* Drachmas duas.

Sacchari albi Vncias octo.

Olei Citri Guttas decem.

Misce fiat *pulvis,* et cum

Mucilagine Gummi Tragacanthae,
quantum sufficit,

Massa, ex qua *Trochisci* formentur.

§. 783. Ad *fitim* temperandam et *potus* suave *acidu-*
landos praescribuntur.

311. *Vinum antimonii Huxhami.*

§. 784. Rec., *Vitri Antimonii pulverati* Vnciam unam.
affunde

Vini Hispanici Libras duas.

Digerantur per duodecim dies, interdum
agitando. Quo facto subsideat per

R. 3

unum

tinum aut alterum diem, effundatur
Vinum, et coletur per *chartam bibu-*
lam albam, et in *lagna vitrea* bene
 obturata, fervetur.

§. 785. Ad praecipua ex *Antimonio Vomitoria* pertinet, quod non solum raro incassum adhibeatur, sed etiam non tam facile per *alvum* operetur, sicut alia *Emerica*. Interim paulo fortioribus *Emericis* adnumerandum est, quod tantum in robustioribus *pituirosisque*, in *melancholicis*, *maniacis*, *epilepticis*, qui talia fortiora requirunt, locum habeat, et eis ab *Vicia* dimidia usque ad duas, imo saepe in maiori quantitate exhiberi possit.

Caeterum *Vinum* hoc, in *sanguinis impuritatibus*, *morbis exanthematicis chronicis*, in *viscerum obstructionibus*, et itaque in *scabie*, *tinea*, *facie variis maculis defoedata*, *rhabitide*, *atrophia*, uti quoque in *morbis exanthematicis retrogressis*, tanquam *eximium alterans et resolvens*, incipiendo minima dosi, et eam deinde sensim ad *nauseam usque* augendo, datum praeciaros praestat effectus. Eo scopo itaque, in *infantibus ultra annum*, a *Guttis duabus, biennibus*, a *Guttis quatuor*, et in *adultis*, a *Guttis viginti vel triginta* incipiatur, et semel in die sensim *Gutta* augendo exhibeatur. *Plura vid. in HVXHAM Oper. T. III. p. 162.*

VITRIOLVM MARTIS. Vid. N. 218:

312. *Vitrum antimonii.*

§. 786. *Antimonium* subtilissime prius pulveratum, in *sartagine terrea* plani fundi, non *vitreata*, *arundine vitrea* continuo movendo et agitando, tamdiu calcinetur, donec nullum amplius fumum emittat, et in *pulverem griseum* totum conversum sit. Tunc in *crucibulo* exacte tecto, *igne follium* satis intenso celeriter lique scat, donec *Aquae* instar fluat. Quo facto, in *pelvim aeneam planam* effundatur, et ubi induruerit, in *frusta* comminuatur.

§. 787. Ad alia *Medicamenta* paranda necessarium est, et ideo, ne adulteratum sit, a *Pharmacopoeis* ipsis paratur. In *substantia* non datur, quia *drasticum effectum* edit, et instar *veneni* agit.

313. *Vitrum antimonii ceratum.*

§. 788. Rec., *Cerae flavae* Drachmam unam.
 Liquefactae in vase ferreo iniiciatur
Vitri Antimonii subtilissime pulverati
 Vncia una.
 Detineatur super ignem levem ad ho-
 ram dimidiam,
Spathula assiduo eam agitando.
 Dein effundatur materia in *Churtam*,
 et frige facta in *pulverem* teratur.

§. 789. Ad fortiora et drastica Vomitoria pertinet, quod tantum robustioribus, et in illis regionibus praescribitur, in quibus homines tanta fortiora Emerica admittunt. Quae Scriptores quidam, de singulari eius vi, quam in dysenteria et diarrhoeis rebellibus et colliquativis praestat, laudant, etiam de aliis Vomitoriis valent. Dulce somnium est, a pauxillo *Cerae*, quae neque ob deficientem ad eam liquendam necessarium caloris gradum, in corpore nostro solvitur, neque etiam ob intestinorum perpetuam humiditatem, ea obducere potest, si ea in sufficiente quantitate adeslet, vires quas in dysenterico morbo saepe praestat, derivari. Interim clar. ODHELIVS in hoc morbo medicamen nostrum ad Grana sex bisve terve in XXIV horarum spatio, summo cum effectu dedit. Datur a Grano uno usque ad sex, optime cum *Syrupo* quodam. Non condonanda temeritas est, quando a quibusdam ad exemplum quorundam Angliae Scriptorum, in haemorrhagia, haemoptysi, et aliis sanguinis fluxibus praeter naturam ortis praescribitur. Si ob haesitantem in primis viis colluviem biliosam, in his morbis Vomitorium requiritur, nobis leniora et securiora restant.

314. *Vnguentum album.*

§. 790. Rec., *Axungiae porcinae* Libram unam.
Cerussae pulveratae Vncias octo.
 Misceantur.

§. 791. *Discutit, refrigerat et repellit.* Adhibetur itaque ad ambusta, in ulceribus et haemorrhoidibus inflammatis, ubi simul ei *Camphora* addi potest.

Vnguentum Nutritum, adhuc maiorem vim repellendi possidet, et ideo etiam, quando ad inflammatas partes adhibetur, maiorem poscit cautionem.

In genere monere debemus, *Vnguentorum usum*, in *inflammationibus*, in tantum quantum possit, restringi optimum esse.

315. *Vnguentum althaeae.*

§. 792. Rec., *Mucilaginis radice Althaeae,*
Seminis Lini, ana Libram
unam.

Butyri non saliti Libras quatuor.

Mucilagines una cum *Butyro* coque,
donec aquosum omne consumtum
fuerit. Tunc adde

Cerae citrinae Libram unam.

Resinae communis Libram dimidiam.

Liquefactis et colatis admisce

Terebinthinae Vncias duas.

Serva ad usum.

§. 793. Vbi tumores emolliendi, *fibrae* laxandae sunt,
hincque leniendum et humectandum est, bono cum effectu
applicatur.

316. *Vnguentum citrinum.*

§. 794. Rec., *Mercurii vivi depurati,* Vnciam unam.

Solve in

Acidi Nitri Vncias duabus.

Solutioni adhuc calidae adde

Axungiae porcinae liquefactae Libram
unam,

et misceantur in *mortario lapideo.*

§. 795. Vbi, in *vulneribus phagedaenicis,* et in *vulne-*
ribus ab animali rabido infectis, irritans tale fortius, quod
causticam habet indolem, desideratur, eximie conducit.

317. *Vnguentum digesticum.*

§. 796. Rec., *Terebinthinae* Libram dimidiam.

Misceatur et subigatur cum

Vitellis Ovorum N. quatuor,

et admisce

Olei Hypocistici Sesquiunciam.

§. 797.

§. 797. Digerendi et irritandi scopo, *Vnguentum digestivum* et *Vnguentum suppurans*, ad *suppurationem* in *ulceribus* et post *imposita vesicatoria* promovendam, et ad *tumores* emolliendos, adhibentur.

318. *Vnguentum nervinum.*

§. 798. Rec., *Foliorum Populi balsamiferae* Vncias octo.

Incisis adde

Axungiae porcinae calefactae Libras duas.

Stent per quatuordecim dies, et deinde liquatis, colatis et refrigeratis adde

Olei Succini,

Chamomillae, ana Vnciam dimidiam.

Rutae,

Menthae piperitae, ana Drachmas duas.

Misce.

§. 799. Applicetur in *membrorum* et *ligamentorum debilitate*, in *partium rigiditate*, *paralyfi* et *spasms* ac *convulsionibus*. Consulto etiam in *colica flatulenta*, in *nephritide calculosa* et aliis *infimi ventris affectibus flatulento-spasmodicis*, *abdomini* et *renum regioni* infricetur. In *diarrhoeis*, praemissis *evacuantibus*, quoque eo uti et *ventriculi regioni* illud illinere possumus: praesertim, si *status flatulento-spasmodicus* simul adsit.

319. *Vnguentum nutritum.*

§. 800. Rec., *Aceti Saturni* Libram unam.

Huic sensim affunde

Olei Olivarum Sefquilibram,

continuo terendo, ut iustam *Vnguenti* consistentiam acquirat.

De usu vid. §. 791.

320. *Vnguentum pomadinum.*§. 801. Rec., *Axungiae porcinae* Libras duas.*Aquae Naphae**Rosarum* ana Vncias duas.*Olei Citri* Guttas viginti quatuor.*Lavendulae* Guttas quindecim.*Caryophyllorum* Guttas duodecim.

Misce.

§. 802. Pro basi aliorum *Vnguentorum* inservit, et tanquam *lubricans, fissuris manuum, rhagadibus, haemorrhoidibus dolentibus*, et locis, in quibus *vesciantia* imposita fuerunt, applicatur.

321. *Vnguentum suppurans.*§. 803. Rec., *Cerae citrinae*,*Resinae communis*, ana Libram unam.

Liquefactis adde

Ceparum assatarum,*Mellis crudi*, ana Libras duas cum dimidia.*Saponis nigri* Libram dimidiam.

Coque leni igne ad humiditatis con-

sumptionem, postea exprime et bene

misce, continuo agitando *bacillo**ligneo*, usque dum refrixerint.

De usu vid. §. 797.

PARS TERTIA
FORMVLAS
MEDICAMENTORVM

PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM
EX TEMPORE PARABILIVM CONTINENS.

I. *Acetum camphoratum.*

§. 804.

Recipe, *Camphorae* Drachmam unam.

Solvatur in

Spiritus Vini sufficienti quantitate,

et solutioni sensim addatur

Aceti vini boni Libra una.

Misceantur.

§. 805. Summum est *antisepticum*, et ideo non solum coelo nubiloso, ad praecavendum *viribus epidemiae febrinum malignarum*, tanquam optimum *prophylacticum* mane exhibeatur Cochlear unum alterumve, sed etiam in *febris putridis* ipsis, quando *pulsus* nutat et *virium imbecillitas* conspicitur, omni horae unius spatio, ad Cochlear unum datum, laudabilissimas exferit vires.

2. *Aqua grisea.*

§. 806. Rec., *Mercurii vivi depurati* Vnciam unam.

Acidi Nitri Vncias duas.

Reponantur in loco calido, ut *Mercurius* solvatur, et ad usum servetur.

Ad quamlibet praescriptionem dein

Recipe, *Solutionis praescriptae* Vnciam dimidiam, adde

Succi expressi Chelidonii vel in eius defectu

Decocti saturati radice,

De-

Decocti radicit Aristolochiae rotundae, ana Libram unam.

Misce.

§. 807. Conducit hoc *Medicamen*, cuius descriptionem GOHLIVS dedit, ad *ulcera sordida*, *cariem*, et *synoviae effluxum* cohibendum. Si cum *Aqua fontana* diluatur, prodest etiam ad *serpiginem*, *ficus* et *fissuras*. Vid. *Act. Med. Berol. D. I. Vol. 3. p. 86*. Ante usum huius *Aquae* semper est probe agitanda, ut *pulvis* ad fundum haerens, in ipsa suffundatur.

3. *Aqua picea*.

§. 808. Rec., *Picis liquidae* Vncias tres.

Aquae fontanae, Libras duas.

Misceantur, bacillo ligneo saepius agitando, stent per biduum in *vase ligneo*, dein liquor decantetur.

§. 809. Infunt huic *Aquae* seu *Infuso*, vires *diureticae*, *diaphoreticae*, *antiscorbuticae* et *anthelminthicae*, et exhibetur ideo *infantibus* ad Vncias duas vel tres successivis vicibus, et *adultis* ab Vnciis octo usque ad sedecim, mane ieiuno ventriculo, in *humorum corruptione pituitosa*, *scorbutica*, uti quoque in *arthritide chronica* valet, quando nulla *febris* praesto est. Interim notandum, quod plura, de hoc *Medicamine* promissa sint, quam praestat, et quod *infantes*, nauseosum hoc remedium non facile admittant.

4. *Balsamum vitae externum*.

§. 810. Rec., *Saponis alicantini albi sicci et rasi* Vncias duas.

Spiritus Terebinthinae Vncias quatuor.

Salis Tartari Drachmas tres.

Misceantur et solvantur.

§. 811. Tanquam *resolvens* et *discutiens* externe infri-cetur, *partibus luxatis*, *debilibus*, *paralyticis*, ad *tumores frigidos* discutiendos, et in *ankylosi*.

5. *Cataplasma maturans*.

§. 812. Rec., *Radicit Althaeae* Vncias quatuor.

Ficuum Vnciam unam.

Co-

Coque cum
Aquae fontanae, sufficienti quantitate
 ad teneritudinem,
 et contusis admisce
Ceparum contusarum,
Resinae Galbani in Vitello Ovi solutae,
 ana Drachmas sex.
Mellis Vnciam unam.
Farinae Seminis Lini quantum sufficit
 ad formam *Cataplasmat*is.

§. 813. *Corio applicatum, tumores et abscessus ad maturitatem vel suppurationem fatis cito promovet.*

6. *Clyisma nutriens.*

§. 814. Rec., *Iusculi carnis bovinae*,
Lactis vaccini, ana Vncias tres.
Gelatinae Cornu Cervi Vnciam unam.
 Misce.

§. 815. Iniicitur *nutrimenti* loco, in quibus *deglutienti facultas* impedita est.

7. *Decoctum album.*

§. 816. Rec., *Rasurae Cornu Cervi* Drachmas sex.
Gummi Arabici Drachmas duas.
 Coquantur cum
Aquae communis Libris tribus,
 ad remanentiam Librarum duarum;
 postea cola et pro lubitu edulcora.

§. 817. *Vin demulcentem et temperantem* possidet, et praecipue in *morbis chronicis* conducit pro potu ordinario.

8. *Decoctum althaeae.*

§. 818. Rec., *Radici Althaeae* Libram dimidiam.
Passularum maiorum, dentis acinis,
 Vncias duas.

Aquae fontanae Libras sex.
 Coque ad remanentiam Librarum quatuor, Liquorem colatum sepone,
 donec

donec faeces subfiderint, et defaecatum effunde.

§. 819. In acrimonia humorum, dysenteria, morbis viarum urinae, sub usu Mercurialium, pro potu ordinario datur.

9. *Decoctum anthelminthicum Rosensteinii.*

§. 820. Rec., Radicis Graminis Vnciam dimidiam.
Flavedinis Corticum Aurantiorum
Drachmam dimidiam.

Florum Cassiae Scrupulum dimidium.

Coque in

Aquae fontanae Libris octo,

donec remanserit quarta pars: cola
et adde

Mercurii vivi Vncias duas.

Iterum coque lenius in vase terreo, tecto, et agitando saepius Mercurium bacillo ligneo, et denique decantetur *Decoctum*.

§. 821. Mercurius cum Aqua lenius decoctus, evoluturus, se recipit in eandem aquam, ex longe tenuissimo halitu, partibus ex pondere vix mensurandis, aquae impertit vim, omni labi verminosae exitiosam. Vid. HUNDEBTMARK *Lib. de Mercur. viv. et cum Sal. varie mixt. in C. H. summa vi pag. 73.* Quaeritur, an decocto Mercurio ipsi, an multo magis non rite depurato ei admixto Plumbum, laudata vis adscribenda sit? (*) Plumbum enim liquefactum, aquae eandem impertiri virtutem, testantur PALLAS et HEMPELIVS. Caeterum porrigitur *Decoctum* nostrum pueris verminosis, ab Vnciis octo ad Libram unam, vel solum vel cum Lacte mixtum. Prodest etiam in glandularum obstructionibus et rhachitide incipienti. Vsum in Enematibus ad ascarides, iam DOVERVS laudavit, et ROSENSTEINIVS in egregio libello de infantum morbis con-

(*) Ciar. WEBERVS observavit, Mercurium tali modo cum Aqua coctum, amittere vim necandi pediculos et alia infecta, unde liquere videtur, Mercurium omnino Aquae impertiri partes quasdam ipsi privas.

confirmavit. Numne *Salivatio*, quam a copioso huius *Decocti* usu, in femina B. KAEMPFIVS observavit, aliis rebus, forsan *Mercurio* iam in corpore haerenti, adscribenda sit, verosimile nobis videtur.

IO. *Decoctum contra strumas.*

§. 822. Rec., *Spongiae officinalis in frustula scissae,*
et Lapillorum in eis repertorum, ana
 Vncias quatuor.

Pilarum marinarum Vnciam unam.

In vase *figulino*, ignis ope comburantur in cinerem. Postea

Recipe, *Huius Cineris* Vnciam unam.

Coque cum

Aquae fontanae Libris duabus,
 ad remanentiam dimidiae partis.

Tandem cola, et adde

Syrupi Corticum Aurantiorum Vnciam unam.

§. 823. Communicavit *Medicamen* hocce nobiscum, *illustris* FRANKIVS *Transalpinus iam celebris Doctor*, et maximam contra *strumas* nobis testatus est efficaciam, quam etiam toties quoties in praxi nostra ita fundatam invenimus, ut etiam in *strumis* admodum insignibus adhuc profuisset. Datur bis terve in die ad *Cochlearia* duo.

II. *Decoctum hordei.*

§. 824. Rec., *Hordei perlati* Vncias duas.

A farina adhaerente probe lavetur

Aqua frigida, dein cum *Aquae* Libra dimidia aliquantulum coque, hac tunc *Aqua* quae colorabitur abiecta, *Hordeum* immitte

Aquae bullientis Libris quatuor,
 et coquantur ad dimidias.

§. 825. In febris ad aestum, sitimque infringendam, pro potu ordinario exhibetur. Pro rerum circumstantiis, *Succi acidi e. g. Berberum vel Citri*, ad gratam aciditatem,
 vel

vel *Syrupus aciduli*, e. g. *Citri*, *Ribium*, vel etiam *Acidum Vitrioli* addi potest. Vbi vires sustentandae et erigendae sunt, et *febris* gradus id permittat, *Vini generosi* aliquam portionem cum eo miscere possumus.

12. *Emplastrum vesicatorium.*

§. 826. Rec., *Emplastri Meliloti* Vncias duas.
Super leni igne liquato adde
Pulveris finissimi Cantharidum Vnciam
dimidiam.
Camphorae in Spiritu Vini solutae,
Drachmam dimidiam.
Fiant *Magdaleones*.

§. 827. *Supra corium* extenditur, et diversis locis, qui antea bene *linleo* quodam, sed non *Aceto* fricentur, ad *vesicas* excitandas, ut plurimum per XII horas imponitur. Praestantissimum, in multis morbis, et non raro unicum iuvenum esse, nemo negat. Quoniam vero etiam perversa horum *Emplastrorum* administratio, magnis damnis ansam praebet; sedulo casus illos determinabimus, ubi indicantur, et ubi nocent.

1) *Cantharides*, tali modo *externae* applicatae, satis acute in *sanguinem* agunt, et *circulum eius* augent; uti quotidiana experientia etiam testatur. *Partibus acris*, quibus *stimulando* agunt, id eas perficere, omnino extra dubium est. Sequitur itaque quod conducant, ubi generali *stimulo*, ad augendam *sanguinis circulationem* opus est; e. g. in *febris*, si *languor* in *circulo sanguinis* observetur et *vires* deficiunt; in *paralyti* et illa *apoplexia*, ubi cum *pulsu parvo* copiam *humorum serosorum* suspicamur; porro in promovendis *sanguinis profluviiis*, quando eorum suppressio, ex *stimuli defectu* orta est. Nocere vero, quilibet videt, in *febris immenso calore*, *turgescencia vasorum* et inde orto *sopore febrili*, ut et in vehementi *suppurationis* et *variolosae febris* gradu. In genere notandum, uti prudenter *scientiae nostrae venerabile lumen, illust. TRALLESIVS* monet, in adhibendis his *Emplastris*, semper eo esse respiciendum, num, *circulo sanguinis aucto*, nocere possint; ideo eis in omni *plerhora* caute mercandum, et non nisi praevia *Venaesectio*ne adhibenda esse.

2) *Partes acres* in *sanguinem* resorptae in *nervos* agunt et eos vellicant; sequitur itaque, ut in illis *nervorum morbis* *Vesicatoria* profint, qui *stimulum talem* desiderant, ut sunt, *variae spasmodum species*, *catalepsis* et ipsa *epilepsia*, ubi irritando *inordinatum spirituum motum* tollunt. Liquet vero simul

simul etiam, ea subiecta, quae magna irritabilitatis facilitate gaudent, difficile haec remedia ferre, ut ipsi, in irritabili femina satis evidenter observavimus.

3) Ex *Cantharidum acri indole*, quam cum sanguine communicant, apparet, *Emplastra* haec, *cacochymicis*, *scorbuticis* atque *hydropicis* nocere; uti etiam *ulcera*, quae relinquunt et mali moris sunt, testantur. Quod *febres biliosas* et *putridas* attinet, omnino *Cantharides*, uti *venerandum illud sidus, illustr. TRALLESIVS*, pro more suo, eleganter docet, *diatbesin illam alcalinam et putridam* augent: attamen earum usum in his *febris* restringendum potius et moderandum, quam plane eliminandum, arbitramur. Si enim *languor in circulo sanguinis* observatur, et *vires depressae* sunt, vel *materia morbi ad viscus nobile* transposita, revellenda est; vel ob *virium deiectionem*, nulla *crisis* oriri potest, usum eorum in talibus *febris* cum *illustr. AEPLI* suademus, quo casu vero notandum, quod tunc loca, ubi *Vesicantia* imposita fuerunt, *sphacelosa* communiter evadant, quem *sphacelum* vero, si emortua pars diligenter abraditur, vel *parvis incisionibus* scarificetur, *suppurationem* promoventibus deligatur et debitis *antisepicis* interne aegro succurritur, modo *vires corporis* non plane sufflaminatae sint, *suppuratio copiosa*, bono cum successu, uti toties observavimus, sequitur. Bene in hoc casu etiam partes, ubi *Vesicantia* applicata, *Decocto Corricis peruviani* fomentantur, et loca cum *Oxymelle Aeruginis* deligantur. Nos, ut candide fateamur, ex *Vesicantibus* secundum rite diiudicatas indicationes applicata, in *febris biliosis* et *putridis*, semper exoptatissimum effectum, et nunquam aliquid noxii vidimus.

4) *Irritatio*, quam in loco, ubi imponuntur haec *Emplastra*, excitant, et subsequens *suppuratio*, maiorem, ad loca, ubi applicata, *affluxum humorum* conciliant, et itaque etiam *revellendi scopo* praemissa *Venaesectione*, vel aliis debitis remediis, profunt, in *deliriis febrium*, *phrenitide*, *pleuritide*, praesertim, si *respiratio suppressa* et *excretio per pulmones interrupta* est, *lethargo*, *cephalalgia a causa pituitosa*, *hemiplegia*, *angina*, *ophthalmiis serosis*, *aurium et dentium doloribus a causis pituitosis* ortis. Revellendi huic scopo quidem, ut plurimum in *suxis* applicantur *Vesicantia*; sed in *morbis capitis*, praesertim *oculorum*, *dorso*, uti et in *dentium affectibus*, *processui mastoideo*; porro etiam, in variis *morbis inflammatoriis*, ad ducendam *inflammationem* versus cutem, saepe ipsis locis affectis, e. g. in *angina*, *circa collum*, in *pleuritide* et *peripneumonia*, *pectori*, et in *abdominalium viscerum inflammationibus*, *abdomini* imponuntur. Respicendum vero tunc maxime ad *inflammationis gradum*, qui magnus non esse debet:

Piderit Pharmacia,

S

prae-

praeterea notandum, magis in *inflammationibus spuris*, quata *veris*, hanc methodum prodesse. In locis talibus, ut et subicētis, quae teneriori cuticula gaudent, *miris* seu *temperatum Vesicatorium*, ita ut ad Vnciam *Empласти* Drachma una vel sesquidrachma *Cantharidum* tantum veniat, eligendum esse, cuilibet notum et compertum est.

5) Quoniam *Vesicantia* motibus illis, quos in *sanguine* excitant. et irritatione illa, quam aequae in toto *Nervorum systemate*, ac etiam in loco, ubi imposita sunt, creant, *materiam morbosam* ab interioribus versus exteriora dirigunt; eo magis ad *diversorum exanthematum* eruptionem promovendam, his etiam aliorumve morborum venenis, ad interiores partes retrogressis, ad haec iterum provocanda prodesse, perspicuum est, cum etiam *nervorum spasmos* tollunt. Applicentur itaque vel *stiris* vel *brachiis*, vel etiam, ubi periculum in mora est, utrisque, ad promovendam *variolarum, morbillorum*, et aliorum *exanthematum* eruptionem, si stimulo haec indigeat, et iterum eis revocandis, si retrogressa fuerint. Idem valet de retrogressa *scabie, arthritide, podagra, rheumatismo*, ita et ubi in partem nobiliorem metuendus decubitus humorum, seu iam factus, et *orthopnoea, anxietas, colica, delirium, apoplexia*, vel alia mala orta. Si cum *arthritide, podagra, rheumatismo*, vel etiam *malo ischiadico*, nulla notabilis inflammatio coniuncta est, a pluribus quidem Medicorum, per totum morbi decursum, eorum applicatio suadet, quia morbum tali modo secure averruncare statunt; sed nos hoc non vidimus. Praeterea, quando in *malo ischiadico* dolor fixus iam per aliquod tempus duravit, *magna inflammatio* cum *ingenti tumore* adest, ita ut *suppuratio* in musculis metuenda sit, sollicito *Vesicantia* et alia *irritantia* fugienda sunt.

6) Prae aliis, *Vesicatoria* in *vias urinarias* agunt, *ardorem* in illis, *stranguriam* et saepe etiam ipsum *mixtum cruentum* excitant; praesertim si loca iam epidermide privata, iterum *pulvere Cantharidum* conspergantur, vel, quod magis approbandum, eis de novo *Emplastrum vesicans* imponatur. Vitanda sunt ideo in eis, qui *inflammatione renum, calculo*, vel *mixtu cruento* laborant. Caeterum malum hoc, in magnam partem avertitur, si *Decocta demulcentia* et *Emulsiones*, praesertim *camphoratae*, intus dantur, quae certissimum afferunt levamen.

7) Interea, in determinandis *Vesicatoriorum* viribus, semper fere ad *febrem illam artificialem*, quam excitant, respiciendum esse, bene monet *illustr. TRALLESIVS*.

8) Ut iliter quoque *pulvis Cantharidum*, *vuineribus a morfu canis rabidi ortis* inspergitur, et applicato *Vesicatorio Emplastro*,

plastro, in suppuratione per longum temporis spatium fervantur. Pari modo etiam *locis serpiginosis*, summo cum fructu ita applicantur, ut ad minimum per aliquot menses eorum *suppuratio* continuetur. In his casibus et in genere, ubi *Vesicatorium* diutius in fluxu sustinendi indicatio est, sicut etiam ubi non *fortiori irritatione* indigemus, e. g. in *morbis oculorum, doloribus dentium* a pituitosa causa ortis, imprimis valet *Emplastrum Vesicatorium perpetuum*; cuius descriptionem, quam primam *clariss. IANINO* debemus, N. sequenti invenies. In genere vero tandem

9) notandum, multos *Medicos* et *Chirurgos*, liberaliori *Vesicatoriorum* applicatione, si non aeque nocere, tamen eis praeter necessitatem dolores excitare. Quando *spasmi effectum Vesicatoriorum* prohibent, consulto *Emplastro* aliquot *Opii Grana* adduntur.

Inter alia scripta de *Vesicantibus* ea legi merentur, quae *controvertentes illustr. Viri TRALLESIVS* et *AEPLI* ediderunt; uti etiam *venerandi TIMMERMANNI elegantiss. Diss. de Vesicantium locis.*

13. *Emplastrum vesicatorium perpetuum Ianini.*

§. 828. Rec., *Pulveris finissimi Cantharidum* Vnciam unam.

Euphorbii Vnciam dimidiam.

Mastiches,

Terebinthinae, ana Vncias tres.

Post perfectam pulverum cum *Terebinthina* malaxationem fiant *Magdaleones.*

De usu vid. §. *praec.*

14. *Emulsio communis.*

§. 829. Rec., *Amygdalarum dulcium* Vnciam unam.

Decorticatas *Amygdalas* contunde in mortario lapideo, et paulatim affunde *Aquae communis* Libram unam.

Colaturae adde

Sacchari albi Vnciam dimidiam.

§. 830. Tanquam *humectans*, *demulcens* et *nutriens* in variis morbis vasculatim datur.

15. *Fomentatio antiphlogistica.*

§. 831. Rec., *Saponis alicantini*, Vncias tres.
Solve in
Aquae Calcis vivae Libris duabus.
Adde
Spiritus Vini Vncias quinque.
Sief albi Rhafis Vnciam dimidiam.
Misce.

§. 832. In *uteri* et aliorum *viscerum abdominalium inflammationibus* cum praestantissimo effectu, calide linteis semper bene expressis, applicatur. *Resolvit*, *sudorem* excitat, et *alias excretiones* secundat, praesertim *lochiorum*. In illis *uteri inflammationibus*, quae a *partu difficili* oriuntur, divinum invenimus eius effectum.

16. *Gelatina cornu cervi.*

§. 833. Rec., *Rasurae Cornu Cervi*, Libram dimidiam.
Aquae communis Libras sex.
Decoquantur in vase fictili vitreato, lento igne, usque dum e parva *Decocti* portione refrigerata, consistentiam *Gelatinae* surrexisse appareat, tum liquori cum expressione colato et adhuc calenti, admisce
vel *Syrupi Acetostatis Citri*, vel *Amygdalini* Vncias quatuor.

§. 834. *Humectat*, *refrigerat*, *involvit*, *nutrit*; tamen magis in *febris lentis*, quam *acutis* conducit: in his enim *refrigerantia* et *demulcentia ex vegetabilibus* huic *animali producto* praefenda sunt. Si magis nutriendi, *Syrupus Amygdalinus*, si vero magis refrigerandi scopo *Gelatina* nostra exhibetur, *Syrupus acidus* ei addatur.

17. *Globuli ad fonticulos.*

§. 835. Rec., *Emplastri Vesicatorii* quantum placet.
E quo formentur *Globuli Pisi* magnitudinis.

§. 836. In *fonticulis* difficulter suppurantibus, seu ubi irritatio magna indicatur, *Globuli* hi eximie conducunt et omnibus aliis istius generis compositionibus merito praeferuntur.

18. *Infusum maltae.*

§. 837. Rec., *Maltae* Libras duas.

Infunde cum

Aquae bullientis Libris sex.

Mixta bene agitentur, et per nonnullas horas tecta reponantur, et deinde colentur.

§. 838. *Infusum* hoc, ut remedium eximium in *scorbuto* primo proposuit cl. MACBRIDE, quod confirmatum vidit *illustr.* I. R. FORSTERVS, sub itinere maritimo in *Oceanum australem*. Vid. *Eius litt. ad perill.* A LINNÉ'. Ad Libras duas, tres vel quatuor quotidie *scorbuto* laborantibus propinari debet. *Purgat alvum, humores edulcorat* et sic sanat. *Nautas* misere *scorbuto* afflictos, brevi hoc remedio, absque ullo alio convaluisse, refert FORSTERVS, et in *ulceribus fistulosis* et *venereis* illud efficax invenit B. RVSH. Vid. *Eius Medical Observ. and inquir.* V. 4. p. 37.

19. *Lac gummi ammoniaci.*

§. 839. Rec., *Gummi Ammoniaci* Vnciam unam.

Arabici Drachmam unam.

Aquae Hyssopi Vncias octo.

In mortario marmoreo tere: donec

Gummata soluta sunt.

§. 840. Possidet vires *viscidum pituitamque* incidendi, *obstructiones* resolvendi, *sanguinem* commovendi, *fluxusque* eius promovendi. Datur itaque ad *tussim humoralem*, *asthma humidum*, *pleuritidem*, *peripneumoniam*, alios *pectoris affectus*, in *viscerum abdominalium*, *glandularum mesenterica-*

raicarum, mensum, aliorumque sanguinis fluorum ob-
structionibus. Praesertim tunc utiliter etiam puerperis da-
tur, quando in his a lochiorum retentione, pectoris oppressio,
vel alii pectoris morbi oriuntur. Exserit etiam Lac hocce
vim anthelminthicam; sed difficulter infantes nauseosum
hoc medicamen admittunt. Si solum datur, ad Coch-
lear unum alterumve, omni tri- vel quadrihorio exhi-
beri potest. Vt plurimum aliis Mixturis bechicis et resol-
ventibus ab Vncia una usque ad tres vel quatuor, addi-
tur. Vbi pulsus plenus, durus, calor febrilis ingens ad-
sunt, aut quando a diarrhoea orta, damnum metuendum
est, uti in pleuritide et peripneumonia esse potest, vitan-
dum esse, quilibet iudicat.

20. *Linctus anthelminthicus Stoerckii.*

§. 841. Rec., Pulveris radicis Valerianae sylvestris,
Ialappae,

Seminis Santonici, ana Drach-
mam unam.

Oxymellis Squillitici, quantum sufficit
ut fiat Linctus.

§. 842. Linctus hic ad praestantissima pertinet anthel-
minthica; valide purgat, pituitam tenacem, vermium nidum
destruit et vermes expellit. Datur omni bi- vel trihorio,
Cochlear unum vel alterum parvum. Quando Ialappa,
in sensibilibus, nimis drastica videtur, Sal quoddam
medium ad Vnciam dimidiam, loco eius addi potest.

21. *Linimentum saponis.*

§. 843. Rec., Saponis alicantini Vnciam unam.

Spiritus Vini Vncias quatuor.

Spiritus Vini accenditur, et Massa
tamdiu bacillo ligneo miscetur, usque
dum Spiritus non amplius flagrat;
refrigeratis dein admisce

Camphorae Scrupulos duos.

§. 844. Communicavit nobiscum Linimentum hoc
praestans, B. KAEMPFIVS. Tam ipse KAEMPFIVS, quam
etiam

etiam iam antea, eius *Pater*, in ampla eorum praxi laudabile invenerunt, neque nos, diversimode eo usos, sine iuvamine reliquit. Quae de *Balsamo Saponis* §. 364. laudavimus, etiam de *Linimento* hoc valent, imo certe maiora de eo expectanda. Nam, ob *Alkali*, in hoc *Linimento* ab accenso *Spiritu Vini* exaltatum, ob admixtam etiam *Camphoram*, vires eius magis penetrant et potentius referant. Aliqualem etiam ei *vim antispasmodicam* tribui, non absolum videri potest; cum experientia quotidie ea probetur. Nos eo usi fuimus, ad auferendam *pedum intumescentiam*, quae post eorum *ulcera*, purgatis et correctis humoribus, sanatisque ulceribus, rebellis remanebat, et nulli remedio cedere voluerat, nisi huic *Linimento*. Pro rerum circumstantiis, *Spiritu Terebinthinae* vel *Salis Ammoniaci*, vires eius exaltare possumus.

22. *Linimentum volatile.*

§. 845. Rec., *Olei Lini* Vnciam unam.
Camphorae Drachmam dimidiam.
Spiritus Salis Ammoniaci urinosi Drachmam unam.
 Misceantur exacte in mortario marmoreo, donec coeant.

§. 846. In inflammationibus internis, e. g. *peripneumonia*, *pleuritide*, *angina*, *viscerum abdominalium inflammationibus*, in *colica flatulenta* et *tympanite*, *collo*, *pectori* vel *abdomini* infricatur, maximo cum morbi levamine; si nimirum praegressa sint, quae praemittenda vera scientia iubet. Convenit etiam in *ascite abdomini* illinitum.

23. *Liquamen myrrhae.*

§. 847. Rec., *Extracti Myrrhae aquosi* Drachmas duas.
Mellis crudi Drachmam unam.
Aquae fontanae Drachmas tres.
 Terantur invicem ad perfectam solutionem.

§. 848. In *vulnere*, *partium exsanguinum* et *ulcerum* curatione, ob eximias suas vires balsamicas et roborantes

adhibetur. Notandum vero, *Myrrhae* usum continuatum, saepe *vulnerum* et *ulcerum* labia, exsucca atque arida reddere.

24. *Mucilago seminis cydoniorum.*

§. 849. Rec., *Seminis Cydoniorum* Drachmam unam.

Affunde

Aquae Rosarum Vnciam vnam.

Leni calore fiat *Mucilago*.

§. 850. Ad *ambusta*, *oculos inflammator*, et *lenem* illam *inflammationem*, quae ex *solis aestu* oritur, et ad *excoriationes* valet.

25. *Pilulae antihystericae.*

§. 851. Rec., *Asae foetidae*.

Castorei, ana Sefquidrachmam.

Salis Succini volatilis Drachmam dimidiam.

Olei animalis Dippelii Guttas viginti.

Misceantur et fiat cum *Essentiae Myrrhae* sufficienti quantitate, *Massa pilularis*.

§. 852. In genere valent, ubi *spasmus* laxandus et mitigandus est, et itaque praesertim conveniunt, ad *hypochondriacorum* et *hystericarum* atrocias leniendas. Exhibentur eo scopo, a Granis duodecim usque ad Drachmam dimidiam; quandoque etiam bene, cuilibet tali portioni *Extracti Opii* Granum dimidium vel unum additur. Exserit quoque *massa* nostra *vin anthelminthicam*.

26. *Pulvis alexipharmacus sinicus*
seu *antilyssus tunchinensis*.

§. 853. Rec., *Mofchi optimi* Grana sedecim.

Pulveris radice Valerianae sylvestris

Scrupulum unum.

Camphorae Grana sex.

Misce, fiat *pulvis*.

§. 854. ANDREAS RIED in *China*, de Medicamento, quod ex *Mofchi* Granis XVI, *Cinnabaris nativae* et *Vermillon*

ana

ana Granis XXIV, compositum erat, contra *morsus canis rabidi* effectum tristem, tantam efficaciam viderat, ut redux in Angliam, illud Anno 1744 in *Philosoph. Transact.* publici iuris fecerit. Quoniam de *Vermillon* dubius erat, quid *Chinenses* sub hoc intelligerent, pro eo *Cinnabarin antimonii* substituit. Cum vero omnis vis in hoc pulvere, uti iam KLEINIVS nec non *illustr. NICOLAI*, in *Libro eximio*, cuius Titulus est: *Recepte und Curarren*, statuunt, soli *Moscho* debetur, *Cinnabarin*, cuius efficaciam, inter alios *Viri magni illustr. TRALLESIVS* et *CARTHEVSEVS*, maxime dubiam reddiderunt, consulto omisimus et in locum eius efficaciora, *Radicem Valerianae* et *Camphoram* substituiimus.

Quod vero nunc *Moschi* vires attinet, Medicamentum est summe penetrantissimum, quod *circulum sanguinis* cito et insigni modo auget, *irritat*, *resolvit*, *sudorem* potenter movet, *roborat*, *nervos* erigit, et effectum *antispasmodicum* atque *anodynum* exferit. Praeterea morbi materias, praesertim *exanthemata*, versus corporis peripheriam ducit, *sanguinis profusio* pellit, et *venereos appetitus* excitat. Observationes etiam inde docuerunt, quod profuerit, in *morbis convulsivis*, *epilepticis*, *hystericis*, in *februm periculosis symptomatibus*; ut sunt, *singultus*, *tremores*, *spasmi*, *subsultus tendinum*, *doluria*, *anxietates*, a materia morbi versus nobiliora retrogressa, ortae, in *russi spasmodica*, *hydrophobia*, *mania*, *maxillae retano*, et in genere potissimum ad *symptomata februm malignarum* debellanda. Ratione portionis, in qua dandus, notandum, quod, ut *Chinenses* imitemur, paulo largior esse debeat, quam nostrorum medicorum consuetus mos est, et minimum ad scrupulum dimidium exhibendus. Post eum assumptum, sequitur utplurimum *sudor ingens*, *somnus tranquillus* et *dolorum* et *spasmodum remissio*. In *variolis*, vel aliis *morbis exanthematicis* retrogressis, praeter omnem expectationem, *spasmos*, *convulsiones* et *singultus* aufert, *pulsus* erigit et *exanthemata* versus exteriora, *excitato sudore copioso* ducit. In *februm malignarum periculosis symptomatibus* usque ad integrum *Scrupulum* exhiberi potest: quod etiam de *morbis epilepticis* et *maniacis* valet. In *russi spasmodica*, usus eius ingens est, et infantibus tunc ad Grana duo, quatuor, imo sex et octo exhiberi idem potest. Ad funestos effectus, qui a *morsu canis rabidi* oriuntur, et, ad *hydrophobiam*, praescripta *pulveris nostri* portio, pro una dosi, exhibenda est; post quam tantus *sudor* sequitur, ut saepe per XLVIII horas duret. *Spasmodici* et *convulsivi affectus*, utplurimum, post *sudorem*, statim cessant. Cui *pulvis noster* non arridet, *Moschi* Grana duodecim, sedecim vel viginti, cum *Sacchari Drachma dimidia* miscere,

vel tali modo in pulvere, vel addita *Aqua* quadam *destillata* in *Mixturae* forma exhibere potest.

Quando *spasmus* prohibet, ne aeger *Medicamina* per os assumere possit, etiam cum *Saccharo* ad mixto, ad *Drachmam* dimidiam, *Enematibus* consulto additur. *Moschum*, instar *Amuleti* adhibitum, contra *variolarum* virus et contagium valere, primus docuit B. A. LINNE', et postea comprobaverunt illustr. WICHMANNVS et OPITZIVS. Multae *feminarum*, *Moschi* odorem non tolerant, et tunc consulto, illustri NICOLAI suadente, cum *Camphora*, *Asa foetida* vel *Castoreo* eius odor aliquo modo obnubilatur. Saepe vero, uti experti sumus, plane *suaveolentium* usum non admittunt. Plura vid. in *Philosophical Transact. Act. Havniens.* passim, et P. G. GMELINI *Diff. quam de pulvere nostro Anno 1750. Tubingae* ventilavit.

27. *Serum lactis acidum.*

§. 855. Rec., *Lactis ebullientis* Sesquilibram.

Crystallorum Tartari Vnciam dimidiam.

Mixta ebulliant, dum *caseosa* pars in *coagulum* abierit, quo facto *Serum* coletur, cui tunc, ut penitus clarum evadat, adde aliquot *Albuminum Ovorum* in *spumam* agitatorum, et tandem post *unicam* ebullitionem, iterum per *chartam bibulam*, *Serum* traice.

Sic etiam ad *Serum* parandum, *Acetum Vini* vel *Succus Citri* adhiberi potest.

28. *Serum lactis dulce.*

§. 856. Rec., *Lactis bullientis* Libram unam.

Coaguli vitulini in *sufficienti* quantitate *Aquae* soluti, *Drachmam* unam.

Ebulliant simul et *Serum* coletur. Huic deinde adde

Albuminum Ovorum in *spumam* agitatorum N. tria.

Ebulliant iterum et postea per *chartam bibulam* *Serum* traice.

29.

29. *Serum lactis sinapinum.*

§. 857. Rec., *Lactis* Libras duas.

Seminis Sinapios contusi Vncias duas.

Coquantur invicem ad separationem
casei, tuncque *Serum* coletur.

30. *Serum lactis vinosum.*

§. 858. Rec., *Lactis bullientis* Libras duas.

Inter ebulliendum adde

Vni Rhenani albi Vncias octo.

Facta coagulatione coletur *Serum*.

§. 859. *Sera Lactis vasa sicca, stricta* irrigant, laxant, densos humores solvunt, *urinam* promovent, *fervorem sanguinis* compescunt, *bilem* temperant, *acres humores* corrigunt, et contra *putredinem* valent. Conducunt ideo in *sanguinis impuritatibus, scorbuto, viscerum obstructio-nibus, affectibus hypochondriacis*, praesertim quando idoneis *plantarum succis* miscentur. In *scorbuticis*, et ubi incidendum et *stimulandum* animus noster est, praesertim *Serum sinapinum*, et in debilibus *vinosum* valet, quod etiam singulari vi *antisepitica* gaudet. Dantur quovis die ad Libram unam vel Sesquilibram imo duas vasculatim. Vbi *fibrarum robur* est deiectum, *Ferrum ignitum Sero* immitti potest; unde *Serum chalybeatum* oritur.

31. *Spiritus Mindereri.*

§. 860. Rec., *Aceti Vni acerrimi* Vncias duas.

Paulatim instilla, subinde agitando,

Spiritus Cornu Cervi quantum sufficit,
donec cessat effervescentia.

§. 861. Laudabile Medicamentum leniter *diapnoicum, antispasmodicum* est, et contra *putredinem* valet. Conducit ergo ad *exanthematum*, e. g. *variolarum, morbillorum, purpuræ* eruptionem promovendam, in *morbis ar-thriticis*, in *febris putridis, malignis* etc. in *spasnis* et *affectibus hysteriis*. Datur cum *Syrupo* quodam, vel cum aliis remediis mixtus, a Drachma dimidia ad binas,
imo

imo ad Vnciam usque. Praeterea *Spiritus* noster, *Aes foetidae* non satis celebrandas vires antispasmodicas et resolventes, quas in obstructions viscerum, in mensum et aliorum sanguinis fluxibus cohibitis, in affectibus asthmaticis, in tussi suffocativa et morbis hysteriis praestat, insigniter secundat et auget, et ideo consulto, ad exemplum *clar. MILLAR*, Drachmae duae *Aes foetidae*, in huius *Spiritus* Vncia una, solvantur, et cum aliquot cuiusdam *Aquae destillatae* Vnciis miscantur, et omni bivel trihorio infantibus ad aliquot Cochlearia parva, et *allulis* ordinaria praebentur. Interni *Spiritus Mindereri* usus, primus meminit *BOERHAAVIUS*.

32. *Succi herbarum.*

§. 862. Plantae, ex quibus *Succi* communiter exprimentur, sunt: *Herba Absinthii*; *Acetosae*; *Acetosellae*; *Beccabungae*; *Chaerifolii*; *Cochleariae*; *Fructus Cucumeris sativi*; *Herba Fumariae*; *Radix Graminis*; *Herba Hederae terrestris*; *Millefolii*; *Nasturtii aquatici et hortensis*; *Saponariae*; *Sedi minoris*; *Taraxaci*; et *Trifolii fibrini*. Prelo exprimitur et subsidentia et colo depuratur quovis die *Succus* ex quibusdam praedictarum plantarum, modo maiori, modo minori quantitate, pro aegrotorum diversa constitutione. Vnciarum trium vel quatuor pro quovis die ordinaria plerumque dosis est.

Plantae ex sua natura siccae, et parum succi per se largientes, v. g. *radices Graminis*; aut etiam succulentae, sed succum tenacem viscosum vehentes, v. g. *Taraxacum*, post contusionem, cum modica *Aquae* quantitate miscendae, per noctem macerandae, et tum demum exprimendae sunt.

§. 863. Profunt hi succi in morbis, qui ab *atra bile*, *viscido glutinoso*, *viscerum obstructione* nascuntur. Valent ideo

ideo in multis morbis chronicis, ictero, malo hypochondriaco, scorbuto etc. Sumantur verno tempore per plures hebdomadas cum *carnis iusculo*, vel ad augendam vim, cum *Sero Lactis*. *Ventriculi vires* vero sint integrae, et circa meridiem sumat aeger *Elixir* quoddam *viscerale*.

33. *Vnguentum ad scabiem Iasseri.*

§. 864. Rec., *Pulveris Baccarum Lauri*,
Florum Sulphuris,
Vitrioli albi, ana Vnciam unam,
Olei Olivarum, quantum sufficit ut
fiat *Vnguentum*.

§. 865. Praemissis corrigentibus internis, quolibet die ad *scabiem* sanandam in *volis manuum*, aliqua huius *Vnguenti* portio infricetur. Loco illius *pulveris*, quem IASSERVS simul praescripsit, et qui ex *Antimonio*, *Sulphure*, *Nitro* et *pulvere radice iridis florentinae* constat, vel simplices *Flores Sulphuris* esse, vel eis etiam quarta portio *Antimonii crudi* addi possunt.

34. *Vnguentum mundificans Zelleri.*

§. 866. Rec., *Vnguenti Pomadini* Vnciam unam,
Mercurii praecipitati albi Drachnam
unam.
Misce.

§. 867. Optimum ad *scabiem* sanandam remedium externum est, cuius usum eximium, non solum *Viri in scientia nostra maximi*, BOERHAAVIUS, WERLHOFFIUS et alii comprobaverunt, sed quotidiana etiam experientia testatur. In *Commerc. lit. Nor. de ao. 1735*. "Nunquam, de eo B. WERLHOFFIUS ait, ne minimam salivationem excitat, nec repellit *scabiem*, sed primo tempore fortius elicit, deinde post unam aut alteram hebdomadam sanat, Continuetur post extus apparentem sanitatem. Singula vespera articuli tepide, vel ad ignem, avellanae quantitate inungantur; mundities observetur, viranda lanea, mutandae vestes. Iunge interna congrua, subiunge *Laxans* per epicrasin". His adponit B. KLEINIVS in *Select. ration. Med.* "verissimam invenit hanc methodum in quam plurimis militibus scabiosis, apud nos hybernantibus". Etiam nos hoc *Vnguento*, prae omnibus

bus aliis, in *affectionibus scabiosis* semper optimo cum successu uti sumus. Praeterea in *tinea capitis* summas meretur laudes. Omni die, vel etiam semel in die, magnitudinis *pisi maioris* inungatur capiti: ubi simul *faciei exanthemata* et *glandulae colli induratae* evanescent. Vid. *perill.* MURRAY *Paralipom. de medendi tinea capitis ratione.*

35. Unguentum neapolitanum.

§. 868. Rec., *Axungiae porcinae recentis depuratae*
Vncias duas.

Liquefeat et cum ab igne remota spif-
fescere incipiat, adde

Mercurii vivi depurati Vncias duas.

Commixta diligenter subigantur, do-
nec *Mercurius* penitus disparuerit,
continuando triturationem adhuc
per *bihorium*; servetur in *loco frigido*.

§. 869. Celebratissimum, antiquissimum (*) et primum olim fuerat remedium, ad *salivationem* excitandam, posteaquam vero, uti iam §. 538. indicavimus, *salivationis* incommoda et noxia innoverunt, ad hunc quidem scopum a veris et rationalibus Medicis non amplius adhibetur: sed tamen nihilominus, ad curandam *veneream luem*, etiam nostro tempore inungitur, tali vero ratione, ut *salivationis molimita*, vel *frictiones* per aliquot tempus intermittendo, vel datis *eccoprotice Laxantibus*, omni modo praecaveantur (**). In quibus corporibus caeterum, *Inunctio Mercurialium*, *interno usui* praeferenda sit, §. 538. notavimus, et itaque hic tantum optimam *Inunctionis* methodum adponemus. *Primae viae*, antequam *Unguentum* applicatur, prius a fordibus probe purganda, in *plethoricis Vena secanda*, et per aliquot dies, *acres humores corripientia*, e. g. *Serum Lactis* danda, et *Balnea tepida*, quae etiam per totum *Inunctionis* decursum, aliquoties in hebdomade repetenda, adhibenda sunt. *Inunctio* dein quotlibet tertio die, *deras* primo parvis capillis et cum laevo fricatis partibus, ad carbonarium, et in conclavi calido, quo aeger etiam, per omne curationis tempus continendus, instituitur, et quidem, in *extremitatibus* et *dorso*, tali vero modo, ut

*) VIGO primus Mercurium externe, et MATTHIOLVS cum interne adhibuit. Primum praeparatorum erat Mercurius calcinatus ruber, dein sublimatus corrosivus, et tandem Mercurius dulcis.

(**) TORRE primo docuit, absque salivatione morbos venereos sanari posse.

ut primis diebus, in *interiori parte femoris*, dein *pedum tarsis*, porro *brachiis*, et tandem quoque *dorso*, *Vnguenti* Drachmae duae inungantur, superimposito dein *Lanco*. Pro maioribus et minoribus aegroti viribus, minor aut maior, pro qualibet *Inunctione*, requiritur *Vnguenti* quantitas, ita, ut binis Drachmis incipiamus, et usque ad integram *Vnciam* ascendamus. *Linteamina* sub curationis tempore, non mutantur, nisi apparentibus *Salvationis* signis, et *dietae regulae* observentur, quae §. 538. a nobis traditae fuerunt. *Vt plurimum* duodecim vel sedecim *frictiones* sufficiunt. *Inunctionem* aeger sibi ipsi quam optime instituat, et si ab alio peragatur, is manus suas, ne *Mercurius* ab eo resorbeat, cum *Vesica suilla* muniat.

Porro *Vnguentum nostrum* ad *bubones* et alios *tumores venereos* et *pituitosos*, quos eximie resolvit. Male vero ipsis *bubonibus*, sed multo magis *internae femoris parti*, quando *bubo* in *inguine* est, et *brachio*, quando *glandulae subaxillaris* pars affecta est, inungatur. Tandem conducit etiam *Vnguentum nostrum* ad *pediculos* fugandos.

36. *Vnguentum vesicatorium.*

§. 870. Rec., *Vnguenti digestivi* *Vncias* septem.
Pulveris Cantharidum *Vnciam* unam.
 Probe misce.

§. 871. *Vt loca*, ubi *Vesicatoria* imposita fuerunt, per tempus quoddam *suppurent*, vel ubi *suppuratio* difficultur acquiritur, *omni die* applicetur. *Vti quoque* in *vulneribus* valet, quae ab *animali rabido* inflictæ sunt,

I N D I C E S.

Quae litteris dilatatis in Indice primo leguntur, ea sunt medicamenta, quae etiam in minimorum oppidorum Pharmacopoliis praesto et iam praeparata esse debent, et itaque eorum, quae ad quamlibet praescriptionem statim parantur, et quae tertia huius Pharmaciae pars continet, nulla mentio facta est.

Quae in Indice altero uno asterisco notata inveniuntur, exotica sunt, quae duobus asteriscis, ea exotica, quae tamen in horris apud nos coluntur, caetera vero nobis indigena.

S. Significat Supplementum.

- A**bies rubra. 6.
Absinthium vulgare. 6.
Acetosa. 6.
Acetofella. 6.
Acetum camphoratum. 267. Colchici. 69. S. 5. Lithargyrii
f. Saturni. 71. Rutae. 70. Saturni. 71. Squil-
liticum. 72. Vini. vid. etiam Vitis. 67. concen-
tratum. 73. destillatum. 76.
Acidum Nitri. 76. fumans. 77. Salis. 78. S. 17. Vi-
trioli concentratum. 79. tenue. 80.
Aconitum. 6.
Aër fixus. 104.
Aerugo. v. Cuprum. 28. S. 16. praeparata. 81.
Aes viride praeparatum. 81.
Aether Vitrioli. v. Naphtha Vitrioli. 183.
Aethiops alcalifatus. v. Mercurius alcalifatus. 170. antimo-
nialis Huxhami. 82.
Agaricus albus v. Pinus Larix. 49. Chirurgorum. v. Boletus
igniarius. 18.
Albumen Ovi. 48.
Alburnum Sambuci. 58.
Alcali minerale. v. Soda Hispanica. 62.
Alcohol Vini. v. Spiritus Vini rectificatissimus. 236.
Allium. 7.

Aloë

- Aloë hepatica. 7. foccotrina. 7.
 Althaea. 8.
 Alumen crudum. 8. ustum, 83.
 Ambra grisea. 9.
 Amygdalus. 10.
 Amylum. v. Triticum. 66.
 Anagallis. 10. S. 4.
 Angelica. 10. S. 4.
 Anima Rhabbarbari. v. Tinctura Rhabbarbari. 259.
 Anisum. 10. stellatum, 10.
 Antimonium crudum. 10. praeparatum, 83.
 Apis. 11.
 Aqua Bateana. v. Aqua styptica. 91. Calcis vivae. 84.
 Ceraforum nigrorum. 86. Chaerefolii. 85. Chamomillae. 86. destillata communis. 87. divina Fernellii. v. Aquaphagedaenica. 89. florum Cassiae. 87. spirituosae. 87. Foeniculi. 87. fortis. 76. grisea. 267. Hyssopi. 88. Juniperi. 88. spirituosae. v. Spiritus Juniperi. 235. Laurocerasi. 88. S. 17. Melissae. 88. Menthae piperitae. 88. spirituosae. 88. Naphae. 89. ophthalmica coerulea. 89. phagedaenica. 89. picea. 268. Pulegii. 90. Rabelii. v. Elixir acidum Halleri. 110. Rosarum. 90. Rubi idaei. 90. Sambuci. 90. Sapphirina. 89. Saturni. v. Aqua veg. min. Goulardi. 92. sclopetaria Gallorum. 90. styptica. 91. traumatica Gallorum. 90. Thedenii. 91. vegeto- seu vegetabiliminerale Goulardi. 92.
 Aquila alba. v. Mercurius dulcis. 172.
 Arcanum corallinum. v. Mercurius calcinatus ruber. 170. duplicatum. v. Tartarus vitriolatus. 254. Tartari. v. Terra foliata Tartari. 254.
 Argentum. 11. cupellatum, 11. S. 15. foliatum, 11. S. 16. vivum, v. Mercurius vivus. 43.
 Aristolochia. 11. S. 4.
 Armoracia. vid. Raphanus rusticanus. 51.
 Arnica. 11. S. 16.
 Arsenicum album. 13.
 Arum. 13. S. 4.
 Asa dulcis. vid. Resina Benzoës. 51. foetida. 13.
 Asarum. 14.
 Asphaltum. 14.
 Astragalus exscapus. 14. S. 4.
 Avena. 14.
 Aurantium. 15.

Piderit Pharmacia,

T

Auri-

- Auripigmentum. 15.
 Aurum. 15. foliatum. 15.
 Axungia Castoris. 22. Porci. 16. depurata. 93.
Bacca Berberis. 17. Iuniperi. 39. Lauri. 40. Ribium nigrorum. 53. rubrorum. 54. Sambuci. 58.
 Balauftium. v. Granatum. 34.
 Balsamum Arcaei. 93. S. 17. aromaticum. 94. canadense. 16. Commendatoris. 94. Copaiuae. 16. ophthalmicum St. Yveanum. 95. peruvianum nigrum. 16. Saponis. 96. vitae externum. 268.
 Bardana. 17.
 Beccabunga. 17. S. 4.
 Belladonna. 17.
 Berberis. 17.
 Betula. 18.
 Biftorta. 18.
 Bitumen iudaicum. 14.
 Boletus ignarius. 18. praeparatus. 97.
 Bolus Armena. 18. Martis. v. Globuli martiales 155. rubra 18.
 Borax veneta. 18. S. 16.
 Bryonia. 18.
 Butyrum. 18. Antimonii. v. Causticum Antimoniale. 99. Cacao. 97. Maioranae. 98.
Cacao. 19.
 Cadmia fossilis. 19.
 Calamus aromaticus. 19.
 Calomel. 173.
 Calx viva. 19.
 Camphora. 19.
 Cancer. 20.
 Cannabis. 20.
 Cantharides. 20.
 Caoutchou. 20.
 Capita Papaveris. 48.
 Cardamomum minus. 20.
 Carduus benedictus. 20. tomentosus. 21.
 Carex arenaria. 21.
 Carica. 21.
 Carvum. 21.
 Caryophyllata. 21. S. 16.
 Caryophylli aromatici. 21.
 Cascarella. 21.

Cassia

- Cassia fistula. 21.
 Castoreum. 22.
 Cataplasma maturans. 268.
 Catechu. 22.
 Causticum Antimoniale. 99. lunare, v. Lapis infernalis. 160.
 Cauterium potentiale, v. Lapis causticus. 158.
 Centaurium minus. 22.
 Cepa. 22.
 Cera alba. II. citrina II. viridis. II.
 Cerasus acida. 22. nigra. 23.
 Ceratum labiale. 99. Saturni Goulardi. 100. 18.
 Cereoli exploratorii. 100. Falkii. 101. mitigantes Goulardi. 102.
 Cerussa in laminis. v. Plumbum. 50.
 Chaerifolium. 23.
 Chamomilla romana. 23. vulgaris. 23.
 Chelidonium maius. 23.
 China Chinae. 24.
 Chocolata medica. 102.
 Cicuta. 25.
 Cina. 25.
 Cineres clavellati. 26. depurati. 103.
 Cinnamomum. 26.
 Citrus. 26.
 Clavelli canellae, v. Flores Cassiae. 32.
 Clyfina commune S. 14. nutriens 269.
 Coccognidium. 26.
 Cochlearia. 26.
 Colchicum. 27. S. 4.
 Colla piscium v. Ichthyocolla. 38.
 Colocynthis. 27.
 Colophonium. v. Abies rubra. 6.
 Columbo. 27.
 Comae floridae Centaurii minoris. 22.
 Conchae marinae. S. 6. praeparatae, S. 7.
 Conserva Rosarum. 105.
 Consolida maior. 27. S. 5.
 Contrayerva. 27.
 Coriandrum. 28.
 Cornu Cervi. 23.
 Corpus pro Balsamo. v. Oleum nuc. moschat. express. 198.
 Saponis. 106.
 Cortex Aurantiorum. 15. Cascarillae. 21. Citri. 26.
 Coccognidii. 26. Curassavensis. 15. Granati. 34.
 T 2 Cortex

Ri-
58-
ca-
ai-
95-
96-

55-

99-

affia

- Cortex Ligni Guaiaci. 34. Mezerei. 26. Peruvia-
nus 24. S. 16. Quercus. 51. Sassafras. 60. Si-
marubae. 62.
- Cremor Tartari. 106. S. 18. solubilis. 108. S. 18.
- Crocus. 28.
- Crytalli Tartari. 106.
- Cucumis. 28.
- Cuprum. 28. ammoniacale. 108.
- Cydonia. 29.
- D**atura. 29.
- Daucus sativus. 29.
- Decoctum album. 269. Althaeae. 269. anthelminticum
Rosensteinii. 270. contra strumas. 271. S. 24.
Hordei. 271.
- Diaeydonium simplex. 109.
- Dictamnus albus. 30.
- Digitalis purpurea. 30.
- Dulcamara. 31.
- E**lectuarium lenitivum. 109. mundificans Werlho-
fii. 109.
- Elixir acidum Halleri. 110. aperitivum Clau-
deri. 111. balsamicum Hofmanni. 112. Vi-
trioli Mynsichti. 113. uterinum. 113.
- Emplastrum adhaesivum Woodstockii 114. S. 7. anticolicum 115.
Cicutae. 115. Citrinum 116. commu-
ne 117. S. 18. de Galbano crocatum Myn-
sichti. 117. de Meliloto. 118. de Sper-
mate Ceti Mynsichti. 120. gummo-
sum. 118. Mercuriale. 119. resolvens
Schmuckeri. 119. Saponis Barbette. 119. ve-
ficatorium. 272. perpetuum Ianini. 275. S. 24.
- Emulsio communis. 275.
- Enula. 31.
- Erysimum. 31. S. 5.
- Essentia Ambræ liquida. 120. Cardamomi. 121. Casto-
rei. 121. Corticis Cascarillae. 122. Peruviani
composita R. Whyttii. 123. simplex. 123. Cor-
ticum Aurantium. 122. Fuliginis Claude-
ri. 123. Gentianae. 124. Myrrhae. 124. al-
califata. 124. Pimpinellae. 125.
- Euphorbium. 31.
- Extractum Absinthii. 125. Acetofellae. 127. Aconiti. 128.
Aloës aquosum. 128. Catholicum. 129.
Chamomillae. 129. Cicutae. 130. S. 18.
- Extra-

Extractum Corticis Cascarillae. 132. Corticis Peruviani aquosum. 133. vinosum. 137. Daturae. 137. Gentianae. 138. Graminis. 138. Hellebori nigri. 139. Hyoscyami. 139. Lactucae virosae. 140. Marrubii. 140. Martis. 141. Millefolii. 142. Myrrhae. 142. Nucum iuglandium. 143. Opii. 143. panchymagogum. 129. Pulsatillae nigricantis. 147. Quassiae. 147. Rhabbarbari seu Rhei. 148. Saturni. 148. Taraxaci. 149. Trifolii fibrini. 149. Valerianae. 149.

Farfara. 31.
 Fel Tauri 32. inspissatum 150. S. 18.
 Ferrum. 32.
 Ficus. 21.
 Filix. 32.
 Flammula Iovis. 32.
 Flavedo Aurantiorum. 15. Citri. 26.
 Flores Anthos. 54. Arnicae. II. S. 16. Aurantiorum. 15. Benzoes. 150. Cassiae. 32. Chamomillae romanae 23. vulgaris. 23. Farfae. 31. Granati. 34. Hyperici. 37. Lavendulae. 40. Malvae arboreae. 42. Meliloti. 42. Papaveris erratici. 48. Pulsatillae nigricantis. 51. Rosarum rubrarum inaperti. 54. Sambuci. 58. Sulphuris. 152. Tanaceti. 65. Tussilaginis. 31. Verbasci. 66. Zinci. 154.
 Foeniculum dulce. 33.
 Foenum graecum. 33.
 Folia Althaeae. 8. Afari. 14. Aurantiorum. 15. Belladonnae. 17. Hyoscyami nigri. 37. Lauri. 42. Laurocerasi. 42. Quercus. 51. Ribium nigrorum. 53. Sabiniae. 55. Sennae. 61. Tabaci. 44. Vvae urfi. 68.
 Fomentatio antiphlogistica. 276. frigida Schmuckeri. 57.
 Formicae. 33.
 Fructus Anisi stellati. 10. Cacao. 19. Caricarum. 21. Cerasi acidae. 22. nigrae. 23. Citri. 26. Cydoniorum. 29. Juglandis immaturi. 39. Prunorum. 51. Oleae. 45. Rubi idaei. 54. Tamarindorum. 65.
 Fuligo. 33.
 Fumaria. 33.
Galanga minor. 33.
 Gallae turcicae. 33.

Gelatina Cornu Cervi. 276. Cydoniorum. v. Diacyd.
simpl. 100. Ribium. 155.

Gentiana rubra. 34.

Globuli ad fonticulos. 277. martiales. 155.

Gramen. 34.

Granatum. 34.

Gratiola. 34.

Guaiacum. 34.

Gummi Ammoniacum. 35. Arabicum. 35. Benzoe
v. Resina Benzoe. 51. Cerasi acidae. 22. Elemi.
v. Resina Elemi. 52. Galbanum. v. Resina Galba-
ni. 52. Guaiacum. v. Guaiacum. 35. Guttae. 35.
Laccae. v. Resina Laccae. 52. Mastiches. v. Resina
Mastiches. 52. Resina Afae foetidae. 13. Euphor-
bii. 31. Myrrhae. 44. Scammonii. 60. Sanda-
raca. v. Juniperus. 35. Senegal. 35. Tragacan-
thae. 36. S. 17.

Hedera terrestris. 36. S. 5.

Helleborus niger. 36.

Helminthochorton. 36.

Hepar Sulphuris calcareum. S. 7. martiale. 156.

Herba Absinthii. 6. Acetosae. 6. Acetosellae. 6. Aco-
niti. 6. Anagallidis. 10. S. 4. Arnicae. 11. Bec-
cabungae. 17. S. 4. Cardui benedicti. 20. Cardui
tomentosi. 21. Chaerifolii. 23. Chelidonii maio-
ris. 23. Cicutae. 25. Cochleariae. 26. Daturae. 29.
Digitalis purpureae. 30. Erysimi. 31. S. 5. Far-
farae. 31. Flammulae Iovis. 32. S. 17. Fuma-
riae. 33. Gratiolae. 34. Hederae terrestris. 36. S. 5.
Hyssopi. 37. Iaceae. 38. Lactucae. 40. Maiora-
nae. 41. Malvae vulgaris. 42. Mari veri. 42.
Marrubii albi. 42. Matricariae. 42. Meliloti. 42.
Melissae. 42. Menthae crispae. 42. piperi-
tae. 43. Millefolii. 43. nobilis. 43. Nasturtii
aquatici. 44. hortenensis. 44. Origani cretici. 48.
Pulegii. 51. Pulsatillae nigricantis. 51. Rorisma-
rini. 54. Rutae. 55. Salicariae. 58. S. 5. Sal-
viae. 58. Saponariae. 59. Scordii. 60. Sedi mi-
noris. 60. Serpilli. 62. Spigeliae. 63. Tanacetii. 65.
Taraxaci. 65. Thymi. 66. Trifolii fibri-
ni. 66. Tussilaginis. 31. Verbasci. 66. Veroni-
cae. 66. S. 5. Virgae aureae. 67. S. 5. Vrticae
maioris. 68.

Hirudines. 37.

Hirun-

Hirundinaria. v. Vincetoxicum. 67.
 Hordeum. 37.
 Hyoscyamus niger. 37.
 Hypericum. 37.
 Hyssopus. 37.

Iacca. 38.
 Ialappa. 38.
 Ichthyocolla. 38.
 Imperatoria. 38.
 Infusio frigida Corticis Peruviani. 136.
 Infusum Maltae. 277.
 Ipecacuanha. 38.
 Iris florentina. 39. S. 5.
 Juglans. 39.
 Iulepus Rosarum. 156.
 Iuniperus. 39.

Kermes minerale. 156. S. 19.

Lac bubulum. 39. caprinum. 39. Gummi Ammoniaci. 277.
 Lactuca virosa. 40.
 Lapathum acutum. 40.
 Lapides Cancrorum. 20. praeparati. 158.
 Lapis Calaminaris. v. Cadm. fossilis. 19. praeparatus. 158.
 causticus. 158. S. 19. divinus. v. Lapis ophthalmi-
 cus. 160. infernalis. 160. ophthalmicus. 160.
 Laudanum liquidum Sydenhami. 161. S. 19.
 Lavendula. 40.
 Laurocerasus. 40.
 Laurus. 40.
 Lichen islandicus. 40.
 Lignum Guaiaci. 34. Iuniperi. 39. Quassiac. 51.
 sanctum. 35. Sassafras. 60.
 Limatura Cupri. 28. Martis seu Ferri. 32. depurata. 161.
 Linctus anthelminthicus Stoerckii. 278.
 Linimentum Saponis. 278. volatile. 279. S. 24.
 Linum. 41.
 Liquamen Cinerum clavellatorum. 162. Myrrhae. 279. VI
 Tartari. 162.
 Liquiritia. 41.
 Liquor anodynus mineralis Hoffmanni. 162. an-
 tigantraenosus Boerhaavii. 57. Cornu Cervi
 succinatus. 164. Nitri fixi. 165. stypticus
 Weberi. 91. Terrae foliatae Tartari. 166. vini
 probatorius Hahnemanni. S. 8.

Lithargyrium Argenti. 50. Auri. 50.
 Lixivium causticum. 167.
 Lobelia syphilitica. 41.
 Lycopodium. 41.
 Lyfimachia purpurea. v. Salicaria. 58.

Macis. v. Nux moschata. 45.
 Magnesia alba. 167. nigra. S. 6.
 Maiorana. 41.
 Malicorium. v. Granatum. 34.
 Malta. v. Hordeum. 37.
 Malva arborea. 42. vulgaris. 42.
 Manna calabrina. 42.
 Marrubium album. 42.
 Martis limatura. 32.
 Marum verum. 42.
 Matricaria. 42.
 Mel. v. Apis. 11. Rosarum. 169.
 Melilotus. 42.
 Melissa. 42.

Mentha crispa. 42. piperita. 43.
 Mercurius alcalifatus. 170. calcinatus ruber. 170. S. 19.
 cinereus. 171. S. 5. dulcis. 172. gummosus
 Plenckii. 181. praecipitatus albus. 176.
 ruber. 170. solubilis Hahnemanni. S. 9. subli-
 matus corrosivus. 177. S. 19. vivus. 43.
 depuratus. 181. S. 20.

Mezereum. 26.
 Millefolium. 43. nobile. 43.
 Millepedes praeparati. 44. vivi. 44.
 Minium. v. Plumbum. 50. S. 17.
 Mixtura antemetica concentr. 186.
 Morfuli antimonialia Kunkelii. 182. chinati. 183.
 Moschus. 44.
 Mucharum Rosarum. 183.
 Mucilago seminis Cydoniorum. 280.
 Myrrha. 44.

Naphtha. 15.
 Naphtha Aceti. 184. Nitri. 184. Vitrioli. 183.
 Nasturtium aquaticum. 44. hortense. 44.
 Nicotiana. 44.
 Nitrum. 44. crystallifatum seu depuratum. 184.
 Nuclei Amygdalorum amari. 10. dulces. 10.
 Nux juglandis. 39. moschata. 45.
 Nux vomica. 45.

Olea.

Olea. 45.

Oleorum aethereorum adulteratio. S. 20.

Oleum Abinthii. 185. Amygdalarum. 187. animale Dip-
 pelii. 189. Anisi. 191. Cacao. 97. Caiicut. 45.
 Caryophyllorum. 192. Cerae. 193. Chamomil-
 lae. 194. Cornu Cervi foetidum. 195. Corticum
 Aurantium. 195. Citri. 196. Florum Cassiae. 196.
 Foeniculi. 196. Hyperici. 196. Lavendulae. 197.
 Lauri. 197. Ligni Sassafras. 197. Lini. 198. Ma-
 cis. 198. Menthae. 198. Nucis moscha-
 tae. 198. Nucum iuglandium. 198. Oliva-
 rum. 199. Ovorum. 199. Petrae. 47. Rutae. 200.
 Sabinae. 200. Saturni. 201. Succini rectificatum. 201.
 Tanacetii. 203. Tartari per deliquium. 162. Tere-
 binthinae. v. Spiritus Tereb. 240. Vini. 183. Vi-
 trioli. 79.

Olivae. 45.

Opium. 47.

Orchis. 48.

Origanum creticum, 48.

Oryza. 48.

Ovum. 48.

Oxymel Aeruginis. 203. Colchici. 204. S. 5. sim-
 plex. 204. squilliticum. 204.

Panacea mercurialis. 173.

Papaver. 48. erraticum. 48.

Passiflorae maiores. 48. minores. 49.

Pasta de Althaea. 204.

Petala Rosarum pallidarum. 54.

Petroleum. 47.

Phellandrium aquaticum. 49.

Pila marina. 49. S. 5.

Pilulae antihystericae. 280. cephracticae. 205. mercuria-
 les. 206. polychrestae. 205. purgantes. S. 10. squil-
 liticae. 207.

Pimpinella alba. 49.

Pinus Larix. 49.

Piper album. 49. nigrum. 49.

Pix Burgundica. v. Abies rubra, 6. liquida. 49. S. 17.

Plumbum. 50.

Pollen Lycopodii. 41.

Polygala amara. 50.

Polypodium. 50.

Poma Aurantium immatura. 15. matura. 15. Colocyn-
 thidis. 27.

Populus balsamifera. 50.
 Porio laxans salina. S. 14. purgans. S. 14. Riverii, 104. S. 14.
 Prunus. 51.
 Pulegium. 51.
 Pulpa Cassiae. 207. Prunorum. 208. Tamarindorum. 208.
 Pulfatilla nigricans. 51.
 Pulvis alexipharmacus sinicus. 280. alterans Edinburgen-
 sium. 206. antilyssus Tunchinensis. 280. antipa-
 smodicus. v. temperans. 212. Carthusianorum. 156.
 contra strumas. 209. dentifricius. 209. S. 22. di-
 gestivus. S. 10. eccoproticus. S. 10. galactopoeus
 Rosensteini. 210. infantum. 210. ophthalmicus Bal-
 dingeri. 210. psoricus. S. 11. purgans. S. 11. pu-
 rificans Kaempfi. 210. squilliticus 211. S. 5. ster-
 nutatorius. 211. temperans. 212. S. 22.

Pyrethrum. 51.

Quassia. 51.

Quercus. 51.

Radix Allii. 7. Althaeae. 8. Angelicae. 10. S. 4.
 Ari. 13. S. 4. Aristolochiae. 11. S. 4. Arnicae. 11.
 Asari. 14. Altragali exscapi. 14. S. 4. Barda-
 nae. 17. Belladonnae. 17. Bistortae. 18. Bryo-
 niae. 18. Calami aromatici. 19. Caricis arenariae. 21.
 Caryophyllatae. 21. S. 16. Chelidonii maioris. 23.
 Colchici. 27. S. 4. Columbo. 27. Consolidae ma-
 joris. 27. S. 5. Contrayervae. 27. Dauci fativi. 29.
 DiGammii albi. 30. Enulae. 31. Farfae. 31. Fili-
 cis. 32. Galangae minoris. 33. Gentianae rubrae. 34.
 Graminis. 34. Hellebori nigri. 36. Jalappae. 38.
 Imperatoriae. 38. Ipecacuanhae. 38. Iridis
 florentinae. 39. S. 5. Lapathi acuti. 40. Li-
 quiriritiae. 41. Lobeliae syphilisicae. 41. Orchi-
 dis. 48. Pimpinellae albae. 49. Polygalae amarae. 50.
 Polypodii. 50. Pyrethri. 51. Raphani rusticani. 51.
 Rhabarbari seu Rhei. 52. Rubiae tinctorum. 54.
 Salab. 58. Saponariae. 59. Serpentariae
 virginianae. 61. Spigeliae. 63. Squillae. 64.
 Taraxaci. 65. Tormentillae. 66. Tusfilaginis. 31.
 Valerianae sylvestris. 66. Vincetoxici. 67. S. 5.
 Zedoariae. 68. S. 5. Zingiberis. 68.

Raphanus rusticanus. 51.

Resina Abietis. 6. Benzoë. 51. elastica. 20. Elemi. 52.
 Galbani. 52. Guaiaci. 35. Jalappae. 212.
 praeparata. 212. Laccae. 52. Mastichis. 52.

Resi-

Resina Sandaraca. 39. Styracis calamitae. 64.
 Rharbarbarum seu Rheum. 52.
 Ribes nigrum 53. rubrum. 54.
 Rob Tuniperi. 213. Sambuci. 214.
 Rosa pallida. 54.
 Rosmarinus. 54.
 Rosulae Berberum. 214. S. 22. Menthae piperitae. 215, S. 23.
 Rubia tinctorum. 54.
 Rubus idaeus. 54.
 Ruta. 55.

Sabadilla. 60.

Sabina. 55.

Saccharum. 55. clarificatum, seu Syrupus communis. 248.
 Lactis. 215. S. 23. Myrrhae Hoffmanni. 142.
 Saturni. 216.

Sago. 55.

Sal Acerosellae essentiale. 217. Ammoniacum. 55.
 Anglicum. 57. catharticum depuratum. 218.
 Benzoës essentiale. 150. Cornu Cervi volatile. 218.
 culinare. 58. Martis. 218. mirabile Glauberi. 219.
 polychrestum Seignette. 220. Saturni. 216. Sodae de-
 puratum. 221. Succini volatile. 221. Tartari. 221.
 essentiale. 222.

Salab. 58.

Salicaria. 58. S. 5.

Salvia. 58.

Sambucus. 58.

Sanguis Draconis. 59.

Santonium. 25.

Sapo alicantinus albus. 59. S. 17. chymicus ad usum
 externum. 224. internum. 224. ialappinus, S. 11.
 niger. 59.

Saponaria. 59.

Saffras. 60.

Scammonium. 60.

Scordium. 60.

Sedum minus. 60.

Semen Anisi. 10. Avenae excorticatum. 14. Cannabis. 20.
 Carvi. 21. Cinae. 25. Coriandri. 28. Foeniculi. 33.
 Foenu Graeci. 33. Hordei. 37. excortica-
 tum. 37. Lini. 41. Oryzae decorticatum. 48.
 Phellandrii aquatici. 49. Sabadillae. 60. Santo-
 nici. 25. Sinapi. 62.

*Semina Cydoniorum. 29.

Senna.

- Senna. 61.
 Serpentaria virginiana. 61.
 Serpillum. 62.
 Serum Lactis acidum, 282. aluminosum. 8. chalybeatum. 283. dulce. 282. sinapinum. 283. vinosum. 283.
 Serum cervinum. 23. et 225. hircinum. 62. vervecinum. 62. et 225.
 Sief album Rhazis. 225.
 Siliquae Vanillae. 66.
 Simaruba. 62.
 Sinapi. 62.
 Sinapismus. S. 15.
 Soda hispanica. 62.
 Solutio Aluminis vitriolata. 8. Mercurialis Swietenii. 180.
 Spatum ponderosum. S. 7.
 Species carminativae pro clysteribus. 225. emollientes pro cataplasmate. 227. clysmatibus. 227. gargarismate. 227. mundificantes. 228. nervinae. pro cucuphis. 228. pectorales. 229. pro Thea. 233. S. 6. resolventes. 232. ad obstructions internas. 232. pro clysteribus. 230. gargarismate. 231.
 Sperma Ceti. 63.
 Spigelia. 63.
 Spiritus Aceti. 76. Anisi. 233. antiscorbuticus Drawitzii. 233. S. 23. bezoardicus Bussii. 234. Cochleariae. 234. Cornu Cervi rectificatus. 235. Formicarum. 235. Juniperi. 235. Lavendulae. 235. Melissae. 236. Mindereri. 283. Nitri acidus. 76. dulcis. 236. S. 23. fumans. 77. Salis Ammoniaci anifatus. 237. aquosus. 237. volatilis vinosus. 238. urinosus. 238. communis acidus. 78. dulcis. 239. S. 24. Serpilli. 240. Tartari. S. 11. Terebinthinae. 240. Vini. 67. camphoratus. 241. crocatus. 241. rectificatissimus. 242. rectificatus. 241. Vitrioli acidus. 80. dulcis. 162.
 Spongia. 64. cerata. 242. usta. 242.
 Squilla. 64. praeparata. 242.
 Stannum anglicanum. 64.
 Stipites Dulcamarac. 31. Ribium nigrorum. 33.
 Stramonium. 29.
 Styrax calamita. 64.
 Succi Herbarum. 284. S. 24.

Suc.

Succinum. 64.

Succus Berceerum. 242. Betulae. 18. Bryoniae. 18. Ceraforum acidorum. 244. Citri. 243. Cucumerum. 28. Cydoniorum. 244. Dauci fativi. 244. Graminis. 34. Iaponicus. 22. Liquiritiae. 244. Ribium. 241. Rubi idaci. 245.

Sulphur auratum Antimonii. 245. liquidum. 245. saponatum. 246. citrinum. 65.

Summitates Millefolii. 43. nobilis. 43.

Syrupus Acetositis Citri. 247. Althaeae. 247. Amygdalinus. 246. Berberum. 248. Ceraforum acidorum. 248. communis. 248. corticis Peruviani. 249. corticum Aurantium. 248. Diacodion. 249. emulsivus. 246. florum Cassiae. 249. Rhabarbari. 250. Ribium. 250. Rubi idaci. 250.

Tamarindi. 65.

Tanacetum. 65.

Taraxacum. 65.

Tartarus. 65. emeticus. 250. solubilis. 253. tartarifatus. 253. vitriolatus. 254.

Terebinthina. v. Pinus Larix. 49. cocta. 254.

Terra foliata Tartari. 254. Iaponica. 22. ponderosa foliata. S. 12.

Thymus. 66.

Tinctura Asae foetidae. 255. Cantharidum. 255. Cinnamon. 257. Croci. 257. Euphorbii. 258. gingivalis balsamica. S. 13. Guaiaci volatilis. 258. S. 24. Laccae. 258. Martis. 258. Rhabarbari aquosa. 259. spirituosa f. dulcis. 259. Squillae. S. 13. thebaica. 161. Valerianae. 260.

Tormentilla. 66.

Trifolium fibrinum. 66.

Triticum. 66.

Trochisci anthelmintici. 260. bechici albi. 260. nigri. 261. temperantes. 261.

Turiones Populi balsamiferae. 50. Sambuci. 58.

Tussilago. 31.

Valeriana sylvestris. 66.

Vanilla. 66.

Verbascum. 66.

Veronica. 66. S. 5.

Vina varia. 67.

Vincetoxicum. 67. S. 5.

Vinum

- Vinum Antimonii Huxhami, 261.
 Virga aurea, 67. S. 5.
 Viride Aeris, 28.
 Vitellus Ovi, 64.
 Vitis, 67.
 Vitriolum album, 67. coeruleum, 68. Martis, 68. et 218.
 viride, 68.
 Vitrum antimonii, 262. ceratum, 263. S. 6.
 Vnguentum ad scabiem Iafferi, 285. S. 24. aegyptiacum, 203.
 album, 263. Althaeae, 264. Arcaei, 93.
 citrinum, 264. digestivum, 264. Maiora-
 nae, 58. mundificans Zelleri, 285. neapo-
 litanum, 286. nervinum, 265. nutri-
 tum, 265. S. 6. pomadinum, 266. fuppu-
 rans, 266. vesicatorium, 287.
 Vrtica maior, 68.
 Vva Vrsi, 68.
Zedoria, 68.
 Zincum, 68.
 Zingiber, 68.

INDEX NOMINUM SYSTEMATICORVM.

- A**chillea Millefolium, 43. nobilis, 43.
 Acipenser Huso, * 38.
 Aconitum Napellus, 4. neomontanum, S. 15.
 Acorus Calamus, 19.
 Alcea rosea, ** 42.
 Allium Cepa, 22. sativum, 7.
 Aloë perfoliata, S. 15. spicata, * 7.
 Althaea officinalis, 8.
 Alumen commune, 8.
 Ambra ambrosiaca, * 9.
 Ammoniacum, * 35.
 Amomum Cardamomum, * 20. scapo nudo spica laxa trun-
 cata, * 68. Zingiber, * 68.
 Amygdalus communis, * 10.
 Amyris elemifera, * 52.
 Anagallis arvensis, 10.
 Anemone pratensis, 51.
 Anethum Foeniculum, ** 33.

Ange-

- Angelica Archangelica. 10.
 Anthemis nobilis. ** 23. Pyrethrum. ** 51.
 Antimonium crudum. * 10.
 Apis mellifica. 11.
 Arbutus Vva urfi. 68.
 Arctium Lappa. 17.
 Argentum nativum. 11.
 Argilla Bolus. 18.
 Aristolochia rotunda. 11. Serpentaria. * 61.
 Arnica montana. 11.
 Arsenicum crudum. 13.
 Artemisia Absinthium. 6. Contra. * 25.
 Arum maculatum. 13.
 Arundo saccharifera. * 56.
 Asarum europaeum. 14.
 Asclepias Vincetoxicum. 67.
 Astragalus creticus. S. 17. exscapus. * 14. Tragacantha. * 36.
 Atropa Belladonna. 17.
 Avena fativa. 14.
 Aurum nativum. 15.
Berberis vulgaris. 17.
 Betula alba. 18.
 Bitumen Asphaltum. * 14. Petroleum. 47.
 Boletus igniarius. 18.
 Borax Tincal. * 18.
 Bos Taurus. 32.
 Bryonia alba. 18.
 Bubon Galbanum. * 52.
Calcareus aquabilis. 19.
 Cambogia Gutta. * 35.
 Cancer Astacus. 20.
 Cannabis fativa. 20.
 Caoutchou. * 20.
 Carex arenaria. 21.
 Carum Carvi. 21.
 Caryophyllus aromaticus. * 21.
 Cassia fistula. * 21. Senna. * 61.
 Castor Fiber. * 22.
 Centaurea benedicta. ** 20.
 Cervus Elaphus. 23.
 Chelidonium maius. 23.
 Cinchona caribaea. S. 16. officinalis. * 24.
 Citrus Aurantium. ** 15. Medica. ** 26.
 Clematis erecta. ** 32.

Coch-

Cochlearia Armoracia. ** 51. officinarum, 26.
 Colchicum autumnale, 27.
 Columbo. * 27.
 Conium maculatum 25.
 Convolvulus ialappa. * 38. Scammones. * 60.
 Copaifera officinalis. * 16.
 Coriandrum fativum. ** 28.
 Crocus fativus. * 28.
 Croton Cascarilla. * 21. lacciferum. * 52.
 Cucumis Colocynthis. * 28. fativus, 28.
 Cuprum nativum. 28.
 Cycas circinalis. * 55.
 Cynips Quercus orientalis. * 33.

Daphne Laureola. 26. Mezereum, 26.
 Datura Stramonium. 29.
 Daucus Carota. 29.
 Dictamnus albus. * 30.
 Digitalis purpurea. 30.

Epidendron Vanilla. * 66.
 Erysimum officinale. 31.
 Euphorbia officinalis. * 31.

Ferrum selectum. 32.
 Ferula Afa foetida. 13.
 Ficus Carica. ** 21.
 Formica rufa. 34.
 Fraxinus Ornus. * 42.
 Fucus Helminthochortos. * 36.
 Fuligo splendens. 33.
 Fumaria officinalis. 33.

Gentiana Centaurium. 22. lutea. 34.
 Geum urbanum. 21.
 Glechoma Hederacea. 36.
 Glycyrrhiza echinata. ** 41. glabra. ** 41.
 Gratiola officinalis. 34.

Helleborus niger. ** 36.
 Hirudo medicinalis. 37.
 Hordeum distichum. 37.
 Hyoscyamus niger. 37.
 Hypericum quadrangulum. 37.
 Hyslopus officinalis. ** 37.

Orchis mascula. 48. militaris. 48. Morio. * 48 et 55.
 Origanum creticum. ** 48. Maiorana. ** 41.
 Ostrea edulis. S. 6.
 Oryza fativa. * 48.
 Oxalis Acetofella. 6. corniculata. 6.

Papaver Rhoeas. 48. orientale. * 47. somniferum. ** 48.
 Phellandrium aquaticum. 49.
 Physeter macrocephalus. * 63.
 Pila marina. * 49.
 Pimpinella Anisum. ** 10. Saxifraga. 49.
 Pinus Abies. 6. Balsamea. * 16. Larix. * 49. Picca. 49.
 sylvestris. 49.
 Piper nigrum. * 49.
 Pistacia Lentiscus. * 52.
 Plumbum nativum. 50.
 Polygala amara. 50.
 Polygonum Bistorta. 18.
 Polypodium Filix mas. 32. vulgare. 50.
 Populus balsamifera. ** 50.
 Prunus avium. 23. Cerasus. ** 22. domestica. 51.
 Laurocerasus. ** 40.
 Psoralea pentaphylla. * 27.
 Psychotria emetica. * 38.
 Pterocarpus Draco. * 59.
 Punicum Granatum. * 34.
 Pyrites natus. 65. subnatus arsenicalis micaceus. 15.
 Pyrus Cydonia. ** 29.

Quassia amara. * 51. Simaruba. * 62.
 Quercus Robur. 51.

Rheum palmatum. * 52.
 Ribes nigrum. 53. rubrum. 54.
 Rosa centifolia. ** 54. damascena. ** 54.
 Rosmarinus officinalis. 54.
 Rubia tinctorum. ** 54.
 Rubus idaeus. 54.
 Rumex Acetosa. 6. acutus. 40. scutatus. 6.
 Ruta graveolens. ** 55.

Sabadilla. * 60.
 Sal ammoniacum. 55.
 Salvia officinalis. ** 58.
 Sambucus nigra. 58.

Sapo-

- Saponaria officinalis. 59.
 Scandix Cerefolium. ** 23.
 Scilla maritima. * 64.
 Sedum acre. 60.
 Sinapis nigra. ** 62.
 Silybrium Nasturtium. 44.
 Soda. * 62.
 Solanum Dulcamara. 31.
 Solidago Virgaurea. 67.
 Spigelia Anthelmia. * 63.
 Spongia officinalis. * 64.
 Stannum crystallinum. * 64.
 Strychnos Nux vomica. * 45.
 Styrax Benzoin. * 51. officinale. * 64.
 Succinum electricum. * 64.
 Sus Scrofa. 16.
 Symphytum officinale. 27.
Tamarindus indica. 65.
 Tanacetum vulgare. 65.
 Tartarus Vini. * 65.
 Terra ponderosa vitriolata. S. 6.
 Teucrium Marum. ** 42. Scordium. 60.
 Theobroma Cacao. * 19.
 Thymus Serpillum. 62. vulgaris. 66.
 Tormentilla erecta. 66.
 Trifolium Melilotus officinalis. 42.
 Trigonella Foenum graecum. * 33.
 Triticum hybernum. 66. repens. 34.
 Tussilago Farfara. 31.
Valeriana officinalis. 66.
 Verbascum Thapsus. 66.
 Veronica Beccabunga. 17. officinalis. 66.
 Vervex. 62.
 Viola tricolor. 38.
 Vitis vinifera. ** 67.
 Vitriolum Cupri. * 68. Martis * 68. Zinci. * 67.
 Vrtica pilulifera. 68.
 Vvae passae vitis apyrenae. * 49. viniferae. * 48.
Zincum mineralisatum. * 68. terrestre. 19.

REGISTER UEBER DIE TEUTSCHEN
NAMEN.

- A**lant. 31.
 Alaun, gebrannter. 8.
 weisser. 8.
 Aloë, feine. 7. gemeine. 7.
 Amber, grauer. 9.
 Ameisen. 33.
 Ammoniak - Gummi. 35.
 Andorn, weisser. 42.
 Angelikwurzel. 10.
 Anisfamen. 10.
 Arabisches Gummi. 35.
 Aronwurzel. 13.
 Arsenik, weisser. 13.
 Asand, stinkender.
 Asphalt. 14. 13.
 Austerfchalen. S. 6.
- B**achungen. 17.
 Bärentraube. 68.
 Bärlappensamen. 41.
 Baldrian. 66.
 Balsam, canadischer. 16.
 Copaiva. 16.
 schwarzer peruviani-
 scher. 16.
 Balsampappel. 50.
 Benediktenkraut. 21.
 Benzoë. 51.
 Bergöl. 47.
 Bergpech. 14.
 Bernstein. 64.
 Bertramwurzel. 51.
 Biberklee. 66.
 Biebergeil. 22.
 Bilsenkraut, schwarzes. 37.
 Birkenfaft. 18.
 Bifam. 44.
 Bitterholz, amerikanisches. 51.
 Bitterklee. 66.
 Bitterfalz, englisches. 57.
- Bitterfüfs. 31.
 Blutigel. 37.
 Bockshornfamen. 33.
 Bolus, armenischer. 18.
 rother. 18.
 Borax, venetianischer. 18.
 Braunstein. S. 6.
 Brechwurzel. 38.
 Brennessel. 68.
 Brennkraut. 32.
 Brunnenkresse. 44.
 Butter. 18.
- C**acau-Bohnen. 19.
 Caieput - Oel. 45.
 Calmus. 19.
 Camillenblumen. 23.
 Camillen, römische. 23.
 Camirufs. 33.
 Campfer. 19.
 Cardamomen. 20.
 Cardinalsblume. 41.
 Cardobenediktenkraut. 20.
 Cascarillrinde. 21.
 Cassien. 21.
 Catechu - Saft. 22.
 Chinarinde. 24.
 Citronen. 26.
 Coloquinten. 27.
 Columbowurzel. 27.
 Coriander. 28.
 Corinthen. 49.
 Creutzblume, bittere. 50.
 Cucumer. 28.
 Curassaufchalen. 15.
- D**iptam, weisser. 30.
 Dosten, cretischer. 48.
 Drachenblut. 39.
 Dreyfaltigkeitsblume. 38.

Ehren-

- E**hrenpreis. 66.
 Eibischkraut. 8.
 Eibischwurzel. 8.
 Eichenblätter. 51.
 Eichenrinde. 51.
 Eisenfeilspäne. 32.
 Eisenhütlein. 6.
 Eisenvitriol. 68.
 Elemi. 52.
 Engelsfuß. 50.
 Engelwurzel. 10.
 Enzianwurzel, rothe. 34.
 Erde, iaponische. 22.
 Erdrauch. 33.
 Essig. 67.
 Euphorbium. 31.

Färberröthe. 54.
 Farrenkraut. 32.
 Fenchelsaamen, süßer. 33.
 Feuerschwamm. 18.
 Fichtenharz. 6.
 Fiebrinde. 24.
 Fingerhut. 30.
 Fliegen, spanische. 20.
 Franzosenholz. 34.
 Freisamkraut. 38.

Galbanum. 52.
 Galgant, kleiner. 33.
 Galläpfel. 33.
 Galmeistein. 19.
 Gartenkresse. 44.
 Gauchheil. 10.
 Geigenharz. 6.
 Gerste, geschälte. 37.
 rohe. 37.
 Gerstenmalz. 37.
 Gewürznelken. 21.
 Giftwurzel, peruvianische. 27.
 Goldblättchen. 15.
 Goldglätte. 50.
 Gottesgnadenkraut. 34.

 Granatapfel. 34.
 Granatblüte. 34.
 Granatrinde. 34.
 Grindwurzel. 40.
 Grünspan. 28.
 Gummigutt. 35.
 Gummi - Traganth. 36.
 Gundelrebe. 36.
 Gurke. 28.

Hafer, geschälter. 14.
 roher. 14.
 Hammelsfett. 62.
 Hanffamen. 20.
 Haselwurzel. 14.
 Hausenblase. 38.
 Himbeeren. 54.
 Hirschhorn. 23.
 Hirschtalg. 23.
 Hollunder. 58.
 Honig. 11.
 Hühnereier. 48.
 Huflattich. 31.

Ialappenwurzel. 38.
 Iohannisblumen. 37.
 Iohannisbeeren, rothe. 54.
 schwarze. 53.
 Ingwer. 68.
 Iiop. 37.
 Iudenpech. 14.

Kalk, ungelöschter. 19.
 Kandelzucker, gelber. 55.
 Katzenkraut. 42.
 Kellerwürmer. 44.
 Kirschen, Holz- 23.
 saure. 22.
 Kirschlorbeerblätter. 40.
 Klapperrosen. 48.
 Klettenkrautwurzel. 17.
 Knoblauch. 7.
 Kochsalz, gemeines. 58.

Kör-

- Koerbel. 23.
 Kräbenaugen. 45.
 Kraftmehl. 66.
 Krausemünze. 42.
 Krebssteine. 20.
 Küchenschelle, schwarze. 51.
 Kümmel. 21.
 Kuhmilch. 39.
 Kupfer, gefeiltes. 28.
 Kupfervitriol. 68.
 Kupferwasser. 68.
- L**achenknoblauch. 60.
 Lattich, giftiger. 40.
 Lavendelblumen. 40.
 Laufsaamen, mexicanischer. 60.
 Lederharz. 20.
 Leinsamen. 41.
 Lerchenschwamm. 49.
 Löffelkraut. 26.
 Löwenzahn. 65.
 Lorbeeren. 40.
- M**aioran. 41.
 Mandeln, bittere. 10.
 süsse. 10.
 Manna, calabrische. 42.
 Mastix. 52.
 Mauerpfeffer. 60.
 Merrettig. 51.
 Meerzwiebel. 64.
 Meisterwurzel. 38.
 Melissenkraut. 42.
 Milch. 39.
 Minie. 50.
 Möhren, gelbe. 29.
 Mohnköpfe. 48.
 Mohnsaft. 47.
 Moos, corsicanisches. 36.
 isländisches. 40.
 Muscatenblumen. 45.
 Muscatennuß. 45.
- Mutterharz. 52.
 Mutterkraut. 42.
 Myrrhen. 44.
- N**atterwurzel. 18.
 Nelkenwurzel. 21.
 Nieswurzel, schwarze. 36.
- O**chsfengalle. 32.
 Oliven. 45.
 Operment. 15.
 Osterluzeywurzel, runde. 11.
- P**appelkraut. 42.
 Pappelrosen. 42.
 Pech, weisses. 6.
 Peerlaot. 49.
 Peruvianische Rinde. 24.
 Pfeffer, weisser. 49.
 Pfefferkörner. 49.
 Pfeffermünze. 43.
 Pimpinellwurzel, weisse. 49.
 Poleikraut. 51.
 Pomeranzen, reife. 15.
 unreife. 15.
 Pomeranzenblätter. 15.
 Pomeranzenblumen. 15.
 Pottasche. 26.
 Purgierwindenharz. 60.
- Q**uassia. 51.
 Queckenwurzel. 34.
 Queckfilber, lebendiges. 43.
 Quendel. 62.
 Quitten. 29.
- R**affinat, weisser. 55.
 Raute. 55.
 Reinfarn. 65.
 Reis. 48.
 Rhabarber. 52.
 Rosen, damascener. 54.

Rosen,

- Rosen, rothe. 54.
 Rosinen, grosse. 48.
 kleine. 49.
 Rosmarin. 54.
 Rüben, gelbe. 29.

Sadebaum. 55.
 Safran. 28.
 Sagu. 55.
 Salab. 55.
 Salbei. 58.
 Salmiak. 55.
 Salpeter. 44.
 Sandriedgraswurzel. 21.
 Sassafras. 60.
 Sauerampfer. 6.
 Sauerklee. 6.
 Sanrachbeeren. 17.
 Schafrippen. 43.
 edle. 43.
 Schellkraut, grosses. 23.
 Schieferweiß. 50.
 Schierling. 25.
 Schifftheer. 49.
 Schlangenwurzel. 61.
 virginiani-
 sche. 27.
 Schwalbenwurzel. 67.
 Schwarzwurzel. 27.
 Schwefel. 65.
 Schweineschmalz. 16.
 Schwerspat. S. 6.
 Seeballen. 49.
 Seidelbastrinde. 26.
 Seife, schwarze. 59.
 weiße spanische. 59.
 Seifenkraut. 59.
 Senf. 62.
 Sennesblätter. 61.
 Sevenbaum. 55.
 Silber, gereinigtes. 11.
 Silberblättchen. 11.
 Silberglätte. 50.
 Simaruba. 62.

 Spiesglas, rohes. 10.
 Stechapfel. 29.
 Steinklee. 42.
 Steinöl. 47.
 Stendelwurzel. 48.
 Sternanis. 10.
 Stocklack. 52.
 Storax. 64.
 Süßholzwurzel. 41.

Tabak. 44.
 Tamarinden. 65.
 Tausendguldenkraut, klein. 22.
 Terpenthin. 49.
 Teufelsdreck. 13.
 Thymian. 66.
 Tollkirschen. 17.
 Tormentillwurzel. 66.
 Traganth, schaftloser. 14.

Vanille. 66.
 Violenwurzel, florentinische.
 39.
 Vitriol, blauer Kupfer- 68.
 Eisen- 68.
 weißser. 67.

Wachholder. 39.
 Wachs, gelbes. 11.
 grünes. 11.
 weißes. 11.
 Waldnachtschatten. 17.
 Waldrebe. 32.
 Wallnufs. 39.
 Wallrath. 63.
 Wallwurzel. 27.
 Wasserfenchel. 49.
 Wegsenf. 31.
 Weiderich, rother oder brau-
 ner. 58.
 Wein. 67.
 Weingeist. 67.
 Weinftein. 65.
 Wermuth, gemeiner. 6.

 Wolf-

